

PALAESTRA

LATINA



ANN. XXXII (Fasc. II) — N. 178
M. JUNIO — A. MCMLXII

PALAEASTRA LATINA

Trimestres litterarum latinarum commentarii BARCINONE edendi

Constat in Hispania et America Hispanica: 60 pesetas; in Gallia: 8 francs; in Italia: 1.000 libellis; in Germania: 6'5 marcis; in Anglia: 12'5 solidis; in reliquis civitatibus, 2 dollaribus

PALAEASTRA ADULESCENTIUM: Constat in Hispania et America Hispanica: 20 pesetas; in Gallia: 2'5 francs in Italia: 300 libellis; in Germania: 2 marcis; in reliquis civitatibus: 0'50 dollars.

Premium mittatur oportet ad ADMINISTRATOREM: Lauria, 5, Apartado 1042 BARCELONA (10)
vel ad PROCURATORES singularium nationum

Scripta ad Moderatorem: Conde, 2 - BARBASTRO (Huesca)

Depósito Legal L - 12 1958

Editur Ordinarii et Superiorum permissu

INDEX

ANN. XXXII (Fasc. II) N. 178

M. JUNIO A MCMLXII

Quid sentiant de Constitutione Apostolica «Veterum Sapientia»

PALAESTRAE LATINA MODERATOES 313

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI *Joannis divina Providentia*

Papae XXIII Constitutio Apostolica de Latinitatis studio provehendo 317

J. M. MIR, *Adnotationes: Constitutionis Apostolicae opportunitas - pondus - gravitas; lex - capita - decreta.* 323

Fr. ALOISE, *De Josephi Toraldo carminibus nondum in lucem editis* 324

J. DEL TON, *Smaragdus* 338

R. PAONE, *Praesepe - Magi Reges - Non ut lupus homol, cet.* 341

H. CAMPANUS, *De quadam «perdita ove» et de quibusdam perditis libris ad Joannem Pighi epistolium* 345

C. FRANCIS, *Clavos a militibus romanis primo post Chr. saeculo relictos in Caledonia* 346

Gr. JOSEPH, *De latino nomine urbis quam «Lourdes» Galli vocant Epistularum inter socios commercium: I. Card. PIZZARDO; FON-*

TANINI - MIR [*Index nominum americanorum*]; Fr. BASILIUS - MIR [*Quo modo nomina propria et cognomina virorum latine efferre oporteat*] 348

J. ARAMENDIA, *Per Orbem* 354

Bibliographia, PHILOPONUS, TEJERINA, ARAMENDIA, GONZALEZ, MARQUES 358

PALAEASTRA ADULESCENTIUM

R. Sarmiento, Condor 369

C. Latorre - R. Vera, *Fides amicitia servata* 370

T. Manlius Consul filium capitis damnat 372

Valle, Gabriel Eucharistiae seraphim. — Carrera, Demon et Pythios
— Ad saltum equi 374

Martínez, Portillo, Bonmatí, Miscentes utile dulci. — Solutiones
— Codina, Triangulus magicus 375

M. Molina, Sol ecce montibus. — Forcano, Gómez, Facete dicta 376

PALAESTRA LATINA

LITTERARUM LATINARUM COMMENTARII
A SOCIIS CLARETIANIS EDITI

ANN. XXXII (FASC. II) — N. 178

M. JUNIO

A. MCMLXII

Quid sentiant de Constitutione Apostolica "Veterum Sapientia"

"Palaestrae Latinae" Moderatores

Constitutionem Apostolicam —qua «veterum sapientia» in Graecorum, Romanorum aliorumque populorum litteris monumentisque recondita quasi quaedam praenuntia veritatis christianaे aurora agnoscitur verusque habetur thesaurus e quo praestantissima Sanctorum Patrum et Ecclesiae Doctorum ingenia quicquid in illis litteris est verum, bonum, justum, pulchrum perpetuo hauserunt labore, assiduo perfecerunt studio, superna acti gratia cumulatissime auxerunt—, et nos exsultanti plane gaudio exceperimus.

Idque in primis cum Societas seu Congregatio nostra ab illo egregio praeclaroque Hispaniae Pontifice et Ecclesiae Dei sanctissimo viro Antonio Maria Claret originem ducat qui in pueris alumnisque Seminariorum instituendis primas linguae latinae tribuit partes¹, qui hanc in primis in confor-

1. «Latina lingua appellatur mortua, sed apud ecclesiasticos vivua est habenda atque judicanda, ita ut consuetudo eo inducatur latine loquendi, maxime in aulis, in deambulacionibus, examinibus, academiis, graduationibus et concursibus, ut prescribitur in Ratione Studiorum». A. M. CLARET, *Miscelánea interesante. Lengua latina*, p. 148.

«Puero ad sacerdotium destinato primum et praecipuum est studium linguae latinae. Magna calamitas est atque infortunium, quod scholasticus incopta philosophia in seminario, non plus quam mediocriter calleat linguam latinam. Cum igitur alumnus seminarium audeat ad incipendam philosophiam, studiose et diligenter examinetur; quod si sermonem latinum non calleat, ad philosophiam ne admittatur; sed ad grammaticam perficiendam remittatur» (A. M. CLARET, *La vocación de los niños*, part. III, cap. 5.^o-6.^o).

«In his annis studiorum superiorum optabat egregius Rector ut alumni linguam latinam vivam existimarent; atque in Ratione Studiorum erat statutum ut in omnibus actibus interni

mandis Seminarii Cubani alumnis instauratam voluit², qui in illo nobilissimo Escurialensi Seminario et Collegio superiore constituit linguae latinae et graecae scholam³; qui praeterea suis alumnis filiisve «ut linguam latinam teneant» (*Constitut.* II, c. 30, n.^o 139, 5.^o), sibique familiarem habeant (Cfr. *Ibid.* I, 18, n. 77) praecipit; qui denique in Sacro Concilio Vaticano divino quasi instinctu motus ac sui corporis vulnera Patribus exhibens, latina utens lingua, Pontificem Maximum veritatis infallibilem magistrum et doctorem invicta constantia asseruit idque suo effuso sanguine consignare vehementer exoptavit⁴.

Hanc a Patre et Conditore aliisque Familiae nostrae religiosae memoria dignis sociis acceptam et in posteris transmissam venerandam hereditatem⁵ laetanti animo totisque ingenii sui viribus exceptit Servus Dei Emmanuel Jové, qui totam aetatem in excolenda et tradenda lingua latina consumpsit et *Candidatum Latinum* anno 1928 primum edidit ac duobus elapsis annis PA-

I

regiminis Seminarii Escurialensis latinus adhibetur sermo, «maxime in aulis, in deambulationibus, examinibus, academiis, graduationibus et concursibus». (Cfr. PALAESTRA LATINA, 4 (1934) 116-116-117).

2. «Mucho siento lo que me dice, que el latín va lo más retrasado; por lo cual haga V. con el Señor Provisor lo que estimen más oportuno para que esto prospere, me parece muy acertado el pensamiento de poner un profesor fijo; póngalo pues.. y se arregla la latinidad; sobre todo para ordenar será lo que más miraré... vaya V. preparando lo que pueda para el Subdiaconado; sobre todo que sean castos y que sepan latín; de Moral, bueno es que sepan, pero más fácilmente los desimularé que del latín, porque si ahora no saben, nunca jamás aprenden...» (*Epistulario Claretiano. Carta a Barjau, 1 agosto 1855*; cfr. C. FERNÁNDEZ, EL BEATO P. ANTONIO M.º CLARET, Madrid, 1941, t. I, pág. 825).

3. «Juxta mentem Philippi II Regis, hujus excelsi operis conditoris, necesse erat ut hic locus, Hispanorum decus et ornamentum, Seminarium esset virorum in omni doctrina eruditorum nec sanctitate minore collustrantium... et in eo capellanorum Collegium est Institutum ut divinas concinerent laudes et adolescentium mentibus sanam traderent doctrinam; Seminarium quoque, allorum forma et exemplar, ac denique Collegium primae et secundae institutionis quod ad omnia civilia curricula velut praeparatio inserviret..» (Cfr. J. MIR, PALAESTRA LATINA, 4 (1934) 122).

De graeco sermone in Seminario et in Collegio altioris humanitatis in Escuriatio sic habet: «Nam hic, est scientiarum sermo; hae litterae in Graecia longo temporis tractu maximo viguerunt splendore, et illius civitatis doctissimi viri in Italianam et in totam deinde Europam omnes scientiarum disciplinas longe lateque propagarunt» (PAL. LAT. *Ibid.*, p. 121).

4. «Haec declaratio dividet lucem a tenebris (GEN. I, 4). Utinam in confessione hujus veritatis meum sanguinem effundere possem, et sustinere mortem... Utinam consummare valeam sacrificium, anno millesimo octingentesimo quinquagesimo sexto inchoatum, descendens de ambone post praedicationem de fide et moribus. Ego Stigmata Domini Jesu in copore meo porto (Ad Gal. 5, 17). Utinam consummare possem cursum meum confitens ex abundantia cordis mei hanc magnam veritatem: Credo Romanum Pontificem esse infallibilem» (Cfr. C. FERNÁNDEZ, EL BEATO P. A. M.º CLARET, II, pág. 836).

5. Cfr. J. M. JIMÉNEZ, C. M. F. Quantam Claretiani litteris latinitis dederint operam (PAL. LAT. 4 (1934) 123 sqs.).

LAESTRAM LATINAM evulgavit⁶: qua quidem Romanorum lingua et Ecclesiae Catholicae impensius est apud nostrates exculta, firmius defensa multisque novis vocabulis, prudenti judicio facta, abunde locupletata.

Illeque Servus Dei et in lingua latina satis versatus vir, cum splendentem Ecclesiae vestem sui sanguinis purpura decorasset, discipulis —quos ipse summo amore et delectu conformarat— faciem emoriens tradidit latinitatis perpetuo excolendae ardenterque in Familia et in Ecclesia excitandae. Qua advocati humanitatis face nonnulli congregati sunt socii qui quasi scholam latinitatis constituerunt, alumnos vera doctrina erudierunt, libros ediderunt, **PALAESTRAM LATINAM** in ampliorem formam —ut tanta res temporaque nostra postulant— evulgandam curarunt operamque suam in Conventus Studiorum Classicorum⁷ et linguae latinae vivaे reddendaе contulerunt⁸.

Nunc autem, dum multi homines nimia sane sollicitudine et cupidine acti in res humanas tantum incumbunt, negotiis obruuntur, commoditate profusaque luxurie oblectantur: dum multi liberos volunt iis solummodo erudiri et institui disciplinis quae praecipuam secum ferunt in hominum societate, ut dicunt, utilitatem, veramque illam animi humanitatem quae ex scriptoribus graecis et latinis promanat, parvipendunt, neglegunt, spernunt; dum multi praeterea exstant vel docti viri hac nostra aetate ex omni societatis gradu cultuque prodeentes qui acriter, inhumaniter, saeve interdum arma vertunt in ingenuas illas litteras unde thesaurus omnis cultus humanitatisque in multas defluxit gentes, Summi Pontifices saepe normas tradiderunt viamque ostenderunt in quam ingredi necesse erat: quae quidem normae nunc denique suprema Pontificis Maximi auctoritate, edicta Constitutione Apostolica, iterum ratae habentur, firmius sanciuntur, ab omnibus sancte servari jubentur.

Nos igitur, et ut filii Ecclesiae obsequentissimi, haec statuta paeceptaque summisso excepimus animo, cum a supremo veritatis Doctore proveniant. At vero, et ut humanitatis cultores ac linguae latinae fautores, laetamur, gaudemus, exsultamus cum, quod tanto studio assequi conabamur de adhibenda et excolenda lingua latina id certa munera conscientia et auctoritate Romani Pontificis probatum, decretum, sancitum est gravissimisque verbis omnibus, quorum est alumnorum informare animos, paeceptum mandatumque ut diligentissime exsequantur.

At laetari et gaudere oportet quia in re maximi gravissimique momenti ipsa est mater Ecclesia quae facem paeferat radiosque emitit ne quis a recto

6. J. SIDERA, C. M. F., *Servus Dei Pater Emmanuel Jové*, C. M. F., PAL. LAT. (1961) 135 sqs.

7. *Actas del Primer Congreso Español de Estudios Clásicos*, Madrid, 1958.

8. *Premier Congrès International pour le Latin vivant*, Avignon 1956; *2ème Congrès International pour le Latin vivant*, Lyon 1959.

tramite divertatur. In juncta sibi munera utinam attento considerent animo reverentissimi Praesules et Superiores eaque diligenti studio omnino adimplere satagant! Utinam curent in primis ut probatissimi apparentur magistri qui non tantum linguas graecam et latinam tradant, sed qui in alumnorum animos intimum instillent amorem atque excitent studium ut ex veterum auctorum scriptis illud deinde prudens probatumque rerum judicium, facillem quaestionum commentationem, jucundamque elocutionem adipiscantur quo aptiores ad omnia Dei et animarum opera adimplenda reddantur!

Caveant vero alumni ne dissidia, pigritia, laboris conatusque fuga animo deficiant, sed a prima pueritia litteras «classicas» ediscant in quibus veterum sapientia, aliis abscondita, sibi exquirerentibus splendenti fulgore manifesta fiat.

Gaudere vel maxime oportet quod ex nova Constitutione Apostolica multi ex multis orbis plagis propediem advenient —ut certo speramus— Seminariorum alumni qui nostram aciem ordinesque Ecclesiae compleant; nam id quidem erat animo lugendum quod, cum tot essent iisque egregii in studiorum Conventibus viri amplissime doctrina litterisque cumulati, clerici vero paucissimi adessent qui cum illis honesto parique conamine contendere possent.

Laetari denique et gaudere licet quod supremum condendum praecipitur «Academicum Latinitatis Institutum», in quo scholae habeantur ad pleniorem linguae latinae scientiam, ad ejus usum, ad genus scribendi proprium et elegans, ad universam cuiusvis aetatis latinitatem, cum primis ad christiana cognitionem assequendam: in quo simul prospiciatur congruenti linguae latinae progressioni, lexico latino additis verbis cum ejus indole et colore proprio convenientibus. —Quo id nanciscemur, ne opus illud difficillimum —nova condendi vocabula— cum maximo ac gravissimo Ecclesiae ac linguae latinac damno, ne dicam pernicie, in aliorum deveniat manus qui, quamvis bona acti voluntate ac vehementi animi conatu, rem tamen nostram —vocabula dico latine proferenda— inscientia, errore, praesumptione aliisque foedassent atque inquinassent vitiis: quae mala futura deplorassent tempora inefficaci prorsus remedio medenda; nunc autem probatorum scriptorum judicio et «Academico Latinitatis Instituto» comprobabuntur vocabula omnia prius quam in usum induci permittantur.

Felix igitur faustusque litteris graecis et latinis illuxit dies; at in hac, qua nunc perfundimur luce, ne sopito conquiescamus animo neve deside manu, sed hac splendenti ducti luce in altissimum culmen et in propositam metam, quae nobis adhuc restat assequenda, totis animi viribus efficaci conatu ascendere contendamus, quo magnificam illam vestem, qua Ecclesia Dei saepissime utitur —linguam dico latinam— et nos amplissime honestemus.

Sanctissimi Domini nostri
I O A N N I S
DIVINA PROVIDENTIA
P A P A E X X I I I
CONSTITUTIO APOSTOLICA
de Latinitatis studio provehendo

IOANNES EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
ad perpetuam rei memoriam

VETERUM SAPIENTIA, in Graecorum Romanorumque inclusa litteris, itemque clarissima antiquorum populorum monumenta doctrinae, quasi quaedam praenuntia aurora sunt habenda evangelicae veritatis, quam Filius Dei, *gratiae disciplinaeque arbiter et magister, illuminator ac deductor generis humani*¹, his nuntiavit in terris. Ecclesiae enim Patres et Doctores, in praestantissimis vetustorum illorum temporum memoriis quandam agnoverunt animorum preparationem ad supernas suscipiendas divitias, quas Christus Jesus *in dispensatione plenitudinis temporum*² cum mortalibus communicavit; ex quo illud factum esse patet, ut in ordine rerum christianarum instaurato nihil sane perierit, quod verum, et iustum, et nobile, denique pulchrum ante acta saecula peperissent.

Quam ob rem Ecclesia sancta eius modi sapientiae documenta, et in primis Graecam Latinamque linguas, sapientiae ipsius auream quasi vestem, summo quidem honore coluit: atque etiam venerandos sermones alios, qui in orientis plagis floruerunt, quippe cum ad humani generis profectum et ad mores conformandos haud parum valerent, in usum recepit; iidemque sive in religiosis caerimonis sive in Sacrarum Scripturarum interpretatione adhibiti, usque ad praesens tempus in quibusdam regionibus, perinde ac vivacis antiquitatis numquam intermissae voces, viguerunt.

1. Tertu'l., *Apol.* 21; Migne, *PL* 1, 394.
2. *Eph.* 1, 10.

Quarum in varietate linguarum ea prefecto eminet, quae primum in Latii finibus exorta, deinde postea mirum quantum ad christianum nomen in occidentis regiones disseminandum profecit. Siquidem non sine divino consilio illud evenit, ut qui sermo amplissimam gentium consortium sub Romani Imperii auctoritate saecula plurima sociavisset, is et proprius Apostolicae Sedis evaderet³ et, posteritati servatus, christianos Europae populos alios cum aliis arto unitatis vinculo coniungeret.

Suae enim sponte naturae lingua Latina ad provehendum apud populos quoslibet omnem humanitatis cultum est peraccommodata: cum invidiam non commoveat, singulis gentibus se aequabilem praestet, nullius partibus faveat, omnibus postremo sit grata et amica. Neque hoc neglegatur oportet, in sermone Latino nobilem inesse conformatiōnē et proprietatē; siquidem *loquendi genus pressum, locuples, numerosum, maiestatis plenum et dignitatis⁴* habet, quod unice et perspicuitati conductit et gravitati.

His de causis Apostolica Sedes nullo non tempore linguam Latinam studiose asservandam curavit eamque dignam existimavit, *qua tamquam magnifica caelestis doctrinae sanctissimarumque legum veste⁵* uteretur ipsa in sui exercitatione magisterii, eademque uterentur sacerorum ministri. Hi namque ecclesiastici viri, ubicumque sunt gentium, Romanorum sermone adhibito, quae sunt Sanctae Sedis promptius comperire possunt, atque cum ipsa et inter se expeditius habere commercium.

Eam igitur, adeo cum vita Ecclesiae conexam, scientia et usu habere perceptam, non tam humanitatis et litterarum, quam religionis interest⁶, quemadmodum Decessor Noster imm. mem. Pius XI monuit, qui, rem ratione et via persecutus, tres demonstravit huius linguae dotes, cum Ecclesiae natura mire congruentes: *Etenim Ecclesia, ut quae et nationes omnes complexu suo contineat, et usque ad consummationem saeculorum sit permanura..., sermonem suapte natura requirit universalem, immutabilem, non vulgarem⁷.*

Nam cum ad Ecclesiam Romanam necesse sit omnem convenire ecclesiam⁸, cumque Summi Pontifices potestatem habeant vere episcopalem, ordinariam et immediatam tum in omnes et singulas Ecclesias tum in omnes et singulos pastores et fideles⁹ cuiusvis ritus, cuiusvis gentis, cuiusvis linguae, consentaneum omnino videtur ut mutui commercii instrumentum universale sit et aequabile, ma-

3. Epist. S. Congr. Stud. Vehementer sane, ad Ep. universos, 1 iul, 1908: Ench. Cler., N. 820. Cfr. etiam Epist. Ap. PII XI, *Unigenitus Dei Filius*, 19 mar. 1924: A. A. S. 16 (1924), 141.

4. Pius XI, Epist. Ap. Officiorum omnium, 1 aug. 1922: A. A. S. 14 (1922), 452-453.

5. Pius XI, Motu Proprio *Litterarum latinarum*, 20 oct. 1924: A. A. S. 16 (1924), 417.

6. Pius XI, Epist. Ap. Officiorum omnium, 1 aug. 1922: A. A. S. 14 (1922), 452

7. *Ibidem*.

8. S. Iren., *Adv. Haer.* 3, 3, 2; Migne, PG 7, 848.

9. Cfr. C. I. C., can. 218, § 2.

xime inter Apostolicam Sedem et Ecclesias, quae eodem ritu Latino utuntur. Itaque tum Romani Pontifices, si quid catholicas gentes docere volunt, tum Romanae Curiae Consilia, si qua decreta conficiunt, ad universitatem fidelium spectantia, semper linguam Latinam haud secus usurpant ac si materna vox ab innumeris gentibus accepta ea sit.

Neque solum universalis sed etiam *immutabilis* lingua ab Ecclesia adhibita sit oportet. Si enim catholicae Ecclesiae veritates traderentur vel non nullis vel multis ex mutabilibus linguis recentioribus, quarum nulla ceteris auctoritate praestaret, sane ex eo consequeretur, ut hinc earum vis neque satis significanter neque satis dilucide, qua varietate eae sunt, omnibus pateret; ut illinc nulla communis stabilisque norma haberetur, ad quam ceterorum sensus esset expendendus. Re quidem ipsa, lingua Latina, iamdiu adversus varietates tuta, quas cotidiana populi consuetudo in vocabulorum notionem inducere solet, fixa quidem censenda est et immobilis; cum novae quorundam verborum Latinorum significationes, quas christianarum doctrinarum progressio, explanatio, defensio postulaverunt, iamdudum firmae eae sint rataeque.

Cum denique catholica Ecclesia, utpote a Christo Domino condita, inter omnes humanas societates longe dignitate praestet, profecto decet eam lingua uti *non vulgari, sed nobilitatis et maiestatis plena*.

Praeterea lingua Latina, quam dicere *catholicam vere possumus*¹⁰, utpote quae sit Apostolicae Sedis, omnium Ecclesiarum matris et magistrae, perpetuo usu consecrata, putanda est et *thesaurus... incomparandae praestantiae*¹¹, et quaedam quasi ianua, qua aditus omnibus patet ad ipsas christianas veritates antiquitus acceptas et ecclesiasticae doctrinae monumenta interpretanda¹²; et vinculum denique peridoneum, quo praesens Ecclesiae aetas cum superioribus cumque futuris mirifice continetur.

Neque vero cuique in dubio esse potest, quin sive Romanorum sermoni sive honestis litteris ea vis insit, quae ad tenera adulescentium ingenia erudienda et conformanda perquam apposita ducatur, quippe qua tum praecipuae mentis animique facultates exerceantur, maturescant, perficiantur; tum mentis sollertia acuatur iudicandi potestas; tum puerilis intelligentia aptius constituatur ad omnia recte complectenda et aestimanda; tum postremo summa ratione sive cogitare sive loqui discatur.

Quibus ex reputatis rebus sane intellegitur, cur saepe et multum Romani Pontifices non solum linguae Latinae momentum praestantiamque in tanta laude posuerint, sed etiam studium et usum sacris utriusque cleri administris praeceperint, periculis denuntiatis ex eius neglegentia manantibus.

10. Cfr. Pius XI, Epist. Ap. Officiorum omnium, 1 aug. 1922: A. A. S. 14 (1922), 453.

11. Pius XII, Alloc. Magis quam, 23 nov. 1951: A. A. S. 43 (1951), 737.

12. Leo XIII, Epist. Encycl. Depuis le jour, 8 sept. 1899: Acta Leonis XIII, 19 (1899), 166.

Iisdem igitur adducti causis gravissimis, quibus Decessores Nostri et Synodi Provinciales¹³. Nos quoque firma voluntate enitimus, ut huius linguae, in suam dignitatem restitutae, studium cultusque etiam atque etiam provehatur. Cum enim nostris temporibus sermonis Romani usus multis locis in controversiam coepitus sit vocari, atque adeo plurimi quid Apostolica Sedes hac de re sentiat exquirant, in animum propterea induximus, opportunitis normis gravi hoc documento editis, cavere ut vetus et numquam intermissa linguae Latinae retineatur consuetudo, et, sicuti prope exoleverit, plane redintegretur.

Ceterum qui sit Nobismetipsis hac de re sensus, satis aperte, ut Nobis videtur, declaravimus, cum haec verba ad claros Latinitatis studiosos fecimus: *Pro dolor, sunt sat multi, qui mira progressione artium abnormiter capti, Latinitatis studia et alias id genus disciplinas repellere vel coercere sibi sumant... Hac ipsa impellente necessitate, contrarium prosequendum iter esse putamus. Cum prorsus in animo id insideat, quod magis natura et dignitate hominis dignum sit, ardentius acquirendum est id, quod animum colat et ornet, ne miseri mortales similiter ac eae, quas fabricantur, machinae, algidi, duri et amoris expertes existant*¹⁴.

Quibus perspectis atque cogitate perpensis rebus, certa Nostri muneris conscientia et auctoritate haec, quae sequuntur, statuimus atque praecipimus.

1. Sacrorum Antistites et Ordinum Religiosorum Summi Magistri parrem dent operam, ut vel in suis Seminariis vel in suis Scholis, in quibus adulescentes ad sacerdotium instituantur, hanc in re Apostolicae Sedis voluntati studiose obsequantur omnes, et hisce Nostris praescriptionibus diligentissime pareant.

2. Paterna iidem sollicitudine caveant, ne qui e sua dicione, novarum rerum studiosi, contra linguam Latinam sive in altioribus sacris disciplinis tradendis sive in sacris habendis ritibus usurpandam scribant, neve praeiudicata opinione Apostolicae Sedis voluntatem hac in re extenuent vel perpetram interpretentur.

13. Cfr. *Collectio Lacensis*, praesertim: vol. III, 1018 s. (Conc. Prov. Westmonasteriense, a. 1859); vol. IV, 29 (Conc. Prov. Parisiense, a. 1849); vol. IV, 149, 153 (Conc. Prov. Rhenense, a. 1849); vol. IV, 359, 361 (Conc. Prov. Aventonense, a. 1849); vol. IV, 394, 396 (Conc. Prov. Burdigalense, a. 1850); vol. V, 61 (Conc. Strigonense, a. 1858); vol. V, 664 (Conc. Prov. Colocense, a. 1863); vol. VI, 619 (Synod. Vicariatus Suchnensis, a. 1803).

14. Ad Conventum internat. «Ciceronianis Studiis provehendis», 7 sept. 1959; in *Discorsi Messaggi Colloqui del Santo Padre Giovanni XXIII*, I, pp. 234-235; cfr etiam Alloc. ad clives dioecesis Placentinae Romam peregrinantes habita, 15 apr. 1959, *L'Osservatore Romano*, 16 apr. 1959; Epist. Pater misericordiarum, 22 aug. 1961: A. A. S. 53 (1961) 677; Alloc. in sollempni auspicatione Collegii Insularum Philippinarum de Urbe habita, 7 oct. 1961; *L'Osservatore Romano*, 9-10 oct. 1961; Epist. lucunda laudatio, 8 decemb. 1961: A. A. S. 53 (1961), 812.

3. Quemadmodum sive Codicis Iuris Canonici (can. 1364) sive Decesorum Nostrorum praeceptis statuitur, sacrorum alumni, antequam studia proprie ecclesiastica inchoent, a peritissimis magistris apta via ac ratione congruoque temporis spatio lingua Latina accuratissime imbuantur, *hanc etiam ob causam, ne deinde, cum ad maiores disciplinas accesserint... fiat ut p[re] sermonis inscitia plenam doctrinarum intellegentiam assequi non possint, nedum se exercere scholasticis illis disputationibus, quibus egregie invenum accuuntur ingenia ad defensionem veritatis*¹⁵. Quod ad eos quoque pertinere volumus, qui natu maiores ad sacra capessenda munia divinitus vocati, humanitatis studiis vel nullam vel nimis tenuem tradiderunt operam. Nemini enim faciendus est aditus ad philosophicas vel theologicas disciplinas tractandas, nisi plane perfecteque hac lingua eruditus sit, eiusque sit usu praeditus.

4. Sicubi autem, ob assimulatam studiorum rationem in publicis civitatis scholis obtinentem, de linguae Latine cultu aliquatenus detractum sit, cum germanae firmaeque doctrinae detrimento, ibi tralaticium huius linguae tradendae ordinem redintegrari omnino censemus; cum persuasum cuique esse debeat, hac etiam in re, sacrorum alumnorum institutionis rationem religiose esse tuendam, non tantum ad disciplinarum numerum et genera, sed etiam ad earum docendarum temporis spatia quod attinet. Quodsi, vel temporum vel locorum postulante cursu, ex necessitate aliae sint ad communes adiciendae disciplinae, tunc ea de causa aut studiorum porrigatur curriculum, aut disciplinae eadem in breve cogantur, aut denique earum studium ad aliud reiciatur tempus.

5. Maiores sacraeque disciplinae, quemadmodum est saepius praescriptum, tradendae sunt lingua Latina; quae ut plurimum saeculerum usu cognitum habemus, *aptissima existimatur ad difficilissimas subtilissimasque rerum formas et notiones valde commode et perspicue explicandas*¹⁶; cum superquam quod propriis ea certisque vocabulis iampridem aucta sit, ad integratem catholicae fidei tuendam accommodatis, etiam ad inanem loquacitatem recidendam sit non mediocriter habilis. Quocirca qui sive in maximis Athenaeis, sive in Seminariis has profitentur disciplinas, et Latine loqui tenentur, et libros, scholarum usui destinatos, lingua Latina scriptos adhibere. Qui si ad hisce Sanctae Sedis praescriptionibus parendum, p[re] linguae Latine ignoratione, expediti ipsi non sint, in eorum locum doctores ad hoc idonei gradatim sufficientur. Difficultates vero, si quae vel ab alumnis vel a professoribus affrantur, hinc Antistitum et Moderatorum constantia, hinc bono doctorum animo eae vincantur necesse est.

15. Pius XI, Epist. Ap. Officiorum omnium, 1 aug. 1922: A. A. S. 14 (1922), 453.

16. Epist. S. C. Studiorum, Vehementer sane, 1 iul. 1908: Ench. Cler., n. 821.

6. Quoniam lingua Latina est lingua Ecclesiae viva, ad cotidie succrescentes sermonis necessitates comparanda, atque adeo novis iisque aptis et congruis ditanda vocabulis, ratione quidem aequabili, universalí et cum veteris linguae Latinae ingenio consentanea —quam scilicet rationem et Sancti Patres et optimi scriptores, quos *scholasticos* vocant, secuti sunt— mandamus propterea S. Consilio Seminariis Studiorumque Universitatibus praeposito, ut Academicum Latinitatis Institutum condendum curet. Huic Instituto, in quo corpus Doctorum confletur oportet, linguis Latina et Graeca peritorum, ex variisque terrarum orbis partibus arcessitorum, illud praecipue erit propositum, ut —haud secus atque singularum civitatum Academiae, suae cuiusque nationis linguae provehendae constituta— simul prospiciat congruenti linguae Latinae progressioni, lexico Latino, si opus sit, additis verbis cum eius indole et colore proprio convenientibus; simul scholas habeat de universa cuiusvis aetatis Latinitate, cum primis de christiana. In quibus scholis ad pleniorum linguae Latinae scientiam, ad eius usum, ad genus scribendi proprium et elegans ii informabuntur, qui vel ad linguam Latinam in Seminariis et Collegiis ecclesiasticis docendam, vel ad decreta et iudicia scribenda, vel ad epistolarum commercium exercendum in Consilii Sanctae Sedis, in Curiis dioecesum, in Officiis Religiosorum Ordinum destinantur.

7. Cum autem lingua Latina sit cum Graeca quam maxime coniuncta et suae conformatio[n]e naturae et scriptorum pondere antiquitus traditorum, ad eam idcirco, ut saepe numero Decessores Nostri praeceperunt, necesse est qui futuri sunt sacrorum ministri iam ab inferioris et medii ordinis scholis instituantur; ut nempe, cum altioribus disciplinis operam dabunt, ac prae- sertim si aut de Sacris Scripturis aut de sacra theologia academicos gradus appetent, sit ipsis facultas, non modo fontes Graecos philosophiae scholas- ticae, quam appellant, sed ipsos Sacrarum Scripturarum, Liturgiae, Ss. Pa- trum Graecorum primiformes codices adeundi probeque intellegendi¹⁷.

8. Eadem praeterea Sacro Consilio mandamus, ut linguae Latinae docendae rationem, ab omnibus diligentissime servandam, paret, quam qui sequantur eiusdem sermonis iustam cognitionem et usum capiant. Huiusmodi rationem, si res postulaverit, poterunt quidem Ordinariorum coetus aliter digerere, sed eius numquam immutare vel minuere naturam. Verumtamen iudicemus consilia sua, nisi fuerint a Sacra Congregatione cognita et probata, ne sibi sumant efficere.

17. Leo XIII, Litt. Encycl. *Providentissimus Deus*, 18 nov. 1893: *Acta Leonis XIII* 13 (1893), 342; Epist. *Plane quidem intelligis*, 20 maij 1885, *Acta*, 5, 63-64; Pius XII, Alloc Magis quam, 23 sept. 1951: *A. A. S.* 43 (1951), 737.

Extremum quae hac Nostra Constitutione statuimus, decrevimus, edicimus, mandavimus, rata ea omnia et firma consistere et permanere auctoritate Nostra Apostolica volumus et iubemus, contrariis quibuslibet non obstantibus, etiam peculiariter mentione dignis.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XXII mensis Februarii, Cathedrae S. Petri Ap. sacro, anno MDCCCCLXII, Pontificatus Nostri quarto.

IOANNES PP. XXIII

ADNOTATIONES

I. Constitutionis Apostolicae «Veterum Sapientia» opportunitas

Omnibus, qui in publicis Institutis et Gymnasiis, in Studiorum Universitatibus et in clericorum Seminariis Collegiisque linguis tradunt Graecam et Latinam, notum est quantum hominum nostrae aetatis animi ab his linguis litterisque antiquis aversentur atque declinent.

Multi sunt —gnari vel fortasse inscii— qui tacite sed instanter, aut aperte et petulanter in veterum cultum et litteras —unde linguae nostrae, artes, monumenta litterarum totaque humanitas prodierunt— odio ducuntur et pugnam parant instituuntque vel in omnium oculis productam.

In hanc hominum —vel doctissimorum— aversionem et offensionem multi iisque praeclarissimi viri novam quasi aciem appararunt qui veterum scripta et doctrinam tuerentur, colerent, servarent. Qui vero ex adverso sunt potiores habere videntur partes, cum instantis laboris fuga, commoda ipsaque rei facilitas multorum animos —qui ignorant labore virtuteque omnia firmari— alliciunt atque a veritate seducunt.

Quibus permotis rationibus Sacrae Congregationes ac Romanus Pontifex extremis his temporibus homines monuerunt et in primis eos, qui in sortem Domini vocati sunt et divino quasi funguntur officio, ut pestiferam hanc devitent doctrinam, qua haud pauci a Latinitate excolenda animos avertunt, rectamque teneant viam.

Nunc autem ut illa praestantissima documenta absolutius completerentur ac suprema in Ecclesia reborarentur auctoritate et fide, Joannes XXIII Pont. Max. Constitutionem Apostolicam «Veterum sapientia» promulgavit.

II. Ejus pondus et gravitas

Constitutio Apostolica in iis numeratur documentis pontificiis quae aperte atque significanter Pontificis Maximi voluntatem exprimunt eamque suprema sua auctoritate exsequendam praecipiunt. Quam quidem voluntatem saepius in Constitutione Apostolica dilucide ac Motu proprio Romanus Pontifex significavit, nam «iisdem, inquit, adducti causis gravissimis... Nos quoque firma voluntate enitimus, ut hujus linguae, in suam dignitatem restituatae, studium cultusque etiam atque etiam provehatur». «Ceterum qui sit Nobismetipsis hac de re sensus, satis aperte, ut Nobis videtur, declaravimus, cum haec verba ad claros Latinitatis studiosos fecimus...». «Quibus perspectis atque cogitate perpensis rebus, certa Nostri munera conscientia et auctoritate haec, quae sequuntur statuimus atque praecipimus...». «Extremum quae hac Nostra

*Constitutione statuimus, decrevimus, ediximus, mandavimus, rata ea omnia et firma consistere et permanere auctoritate Nostra Apostolica volumus et jubemus, contrariis quibuslibet non obstantibus, etiam peculiari mentione dignis». Ac saepius in ea scriptum leges: *mandamus, volumus, necesse est, decrevimus...**

Patet igitur quae sit mens et firma voluntas Romani Pontificis, quae quidem voluntas maxima dicendi gravitate et verborum amplitudine decoratur atque roboratur; ac singularissimo plane ritu confirmata est cum ipse Romanus Pontifex die quo Beati Petri Apostoli Cathedra Antiochena commemoratur (die 22 m. februarii), quamplurima adstante fidelium et clericorum omnis gradus et ordinis turba in Basilica Vaticana, Constitutionem Apostolicam in ipsa sacratissima Beati Petri ara sua ipsa manu consignatam voluit atque in oratione quam ibidem habuit paeclaras linguae latinae laudes contexit.

III. Constitutio Apostolica nova est lex

Hoc documento Romanus Pontifex legem facit eamque ex gravissimis verbis quibus utitur firmam atque perpetuam fore declarat; nam cum probatissima sint argumenta quibus ntitur et consuetudo Romanorum Pontificum accedit non mutandi quae a Decessoribus constituta sunt —in hac praesertim re in qua coveniunt extremi Summi Pontifices omnes— veri simile est ea quae nunc sunt statuta et praescripta longo temporum spatio permansura; lex enim octo praeceps severe ac graviter praecipit eaque his verbis roborantur: «Extremum quae hac Nostra Constitutione statuimus, decrevimus, ediximus, mandavimus, rata ea omnia et firma consistere et permanere auctoritate Nostra Apostolica volumus et jubemus, contrariis quibuslibet non obstantibus, etiam peculiari mentione dignis».

Haec vero lex *generalis* est cum pro omnibus, clericis saecularibus, religiosis, laicis —quorum intersit— aperte constituatur atque, adeo est generalis ut vel lex scripta vel consuetudo vel privilegium prorsus derogentur: «contrariis quibuslibet non obstantibus, etiam peculiari mentione dignis».

Difficultates vero et obstacula, quae ipsa praecpta quicquam minuere aut debilitare possent, praeveniuntur eaque pondere carere asseritur, atque verae rei solutiones proponuntur et severe mandantur: ut, in illis adulescentibus qui serius ad sacerdotium sunt vocati, aut qui in scholis civitatum publicis in studia incumbunt.

Et est praetera *universalis* in Ecclesia catholica, nam praecipit: «In annum induximus, opportunis normis gravi hoc documento editis, cavere ut vetus et numquam intermissa linguae Latinae retineatur consuetudo, et, sicubi prope exoleverit, plane redintegretur»; ac praeterea: «Sicubi autem... de linguae Latinae cultu aliquatenus detractum sit... ordinem redintegrare censemus...».

IV. Summa rerum capita quae nova Constitutione Apostolica continentur.

Prima parte linguae Latinae praestantia, dignitas, virtutes copiose praedicantur, quam Ecclesia Romana velut thesaurum a superioribus aetatibus suscepit eamque perpetuo custodiendam curavit. Et quamquam singulae sententiae et dicendi gravitate et orationis fulgore decorantur, sed si ab illa sententiarum arta conjunctione et orationis numero quodam modo sejungantur, nitidius singulae sententiae fulgebunt altiusque mentibus inhaerentib; Itaque «veterum sapientia» a) primum —multis illustrata veritatis fulgoribus— quasi praenuntia aurora veritatis christiana habetur;

b) deinde quasi animorum praeparatio ad supernas Christi divitias suscipiendas agnoscitur ac velut precursor et paedagogus ad Christum —ut Patres Graeci saepe asserunt—, totiusque historiae quasi centrum;

c) postea thesaurus in quo quod verum, justum, nobile, pulchrum ab antiquis hominibus repertum est, reconditur;

d) praeterea Ecclesia sancta summo semper honore coluit linguas Graecam et Latinam: hae enim sunt quasi aurea vestis qua veterum sapientia posteris est tradita, eaque in posterum veste Ecclesia usa est. Sub qua pulcherrima metaphora —cujus est auctor Pius XI— res latent summae gravitatis;

e) denique divino consilio factum est ut sermo Romani Imperii proprius etiam Sedis Apostolicae evaderet;

f) qui et christianos Europae populos alios cum aliis arto unitatis vinculo conjunxit;

g) praeterea lingua Latina ad promovendum omnem humanitatis cultum est peraccomodata, nam: —invidiam non commovet
—singulis gentibus se aequabilem praestat,
—nullius partibus favet,
—omnibus est grata et amica,
—habet quod unice perspicuitati et gravitati conducit;

h) Apostolica Sedes linguam Latinam asservandam semper curavit atque tamquam magnificam vestem in magisterio et in cultu usurpavit, eamque sacri ministri inter se et cum Sede Apostolica perpetuo adhibent. Necessarium prorsus erat mutui commercii instrumentum singularum ecclesiarum omniumque pastorum cum Romana Ecclesia, quae omnium est Mater Ecclesiarum; illudque mutuum commercium sermone Latino effectum est, qui est universalis — immutabilis — non vulgaris — vereque catholicus;

i) denique lingua Latina perquam apposita ducitur ad adulescentium animos erudiendos atque conformandos.

Praeclarissima illa Leonis XIII saepius allata verba recolantur:

• Vous devez vous réjouir tout d'abord de faire des études classiques, car elles demeurent inégalées pour exercer et développer les plus précieuses qualités de l'esprit: pénétration du jugement, largeur de vues, finesse de l'analyse et dons d'expression. Rien n'aide à comprendre l'homme d'aujourd'hui comme l'étude approfondie de son histoire; rien n'apprend à peser la valeur des mots, à saisir les nuances d'une pensée, la logique d'une composition et la solidité d'un raisonnement, comme le travail de la version et du thème sur les langues classiques»...

Quibus Pontifici Maximi verbis laudes contexuntur linguae Latinae, et vel Graecae, ac virtutes praedicantur; multaque memorantur quae in documentis Pontificiis et in «Epistula de Latina lingua rite excolenda» a Sacra Congregatione de Seminariis Studiorum Universitatibus die 27 m. Octobris anno 1957 (ac die 21 mensis Julii anno 1958) data continentur. Nihil sane his addi potest, meminisse tamen juvabit quae olim scripseram:

• Ecclesia perstudiose suscepit et quasi perennem humanitatis thesaurum servavit linguam Latinam qua olim per fines Romani imperii homines loquebantur. Cum vero illud praepotens ac vastum imperium barbarorum gentes iteratis incursionibus pervastarent et in partes dividerent, lingua quoque Latina gravissimo vulnere sauciata est; quae tamen plurimis hominum aetatibus apud gentes valuit, ac, licet multis foedaretur vitiis, ex ore illarum gentium non recessit usquedum novae progenitae sunt recentium civitatum seu nationum linguae.

Illa autem humanitatis cultusque eximia opera quae sapientissimi viri tota Graecia totoque Romanorum Imperio pepererunt atque immortalitati tradididerunt, Ecclesia dum barbarae irruerant gentes, sancte custodienda exceptit et in monachorum coenobia —sacra antiquitatis penetralia— recondit, descripsit, tractavit ornavitque commentariorum. Ac priorum saeculorum patrumque insistens vestigia Latina lingua sacris semper operata est Ecclesia Romana illaque decrevit sacram liturgiam venerabilibus caerimonias esse evolvendam; hac usque cum christianam doctrinam gentes edocuit, hac cum sacras tradidit filios suisque ministris disciplinas; Latinum queque sermonem, auspice Ecclesia, studiosissime coluerunt non tantum qui humanas litteras renovarunt et ideo •Humanistae» sunt appellati, sed per aliquot saecula eruditissimi quoque viri, libros cum scriberent et evulgarent, eo usi sunt. Cum autem illae «humaniores» litterae et praeципue lingua Latina a vetere gloria recesserunt, Ecclesia, iteratis statutis, litterisque Apostolicis et Encyclicis saepe hortata est jussitque linguam Latinam insigne ac venerabile haberi depositum a Patribus traditum, fundamentum clavemque institutionis ac vinculum quo cum Romano Pontifice Pontifice Episcopi, sacerdotes et fideles artissime conjungerentur. J. M. Mir, (PALAESTRA LATINA 29 (1959) 5).

V. Decreta quae nova lege continentur

Sed quae maxima gravitate et auctoritate firmantur illa sunt octo praecepta quae consequuntur, quaeque ut supra diximus, veram in Ecclesia constituunt legem.

1. Episcopi et Supremi Moderatores Religiosorum dent operam ut hac in re Apostolicae Sedis voluntati studiose obsequantur omnes et his prae-scriptionibus diligentissime pareant...

Id quidem omnibus notum perspectumque est non tantum optimis opus esse legibus, sed his sane viris qui illas opere servare et exequi perstudiose current; hocque munus supremis Ecclesiae Moderatoribus commititur; hi enim velut in capite resident a quo vis virtusque in singula membra defluant. Qui quidem praecepti pondus meditentur oportet: *voluntati Apostolicae Sedis – studiose – omnes – diligentissime...*

2. Caveant ne qui e sua dictione contra linguam Latinam scribant.; quae sequuntur notentur: a) in altioribus sacris disciplinis tradendis;

b) in sacris habendis ritibus — idque perspicuis verbis definitur, ne igitur inconsiderate quidam loquantur negentque quicquam in Constitutione Apostolica invenire quae ad linguam Latinam exspectent in *sacris ritibus adhibendam*—;

c) hac in re extenuent —ne diminuant, debilitent — firmam Sedis Apostolicae voluntatem praejudicata opinione: ne igitur aliud ferant judicium quam quod de hac re profert nunc Romanus Pontifex;

d) idque current Episcopi et Supremi Moderatores paterna sollicitudine.

3. Quae jam pridem statuta sunt de alumnis rite instituendis ac lingua Latina imbuendis iterum rata habentur: idque fieri debet: a) accuratissime;

b) «antequam studia proprie ecclesiastica inchoent»;

c) «a peritissimis magistris»: in quo totius rei est caput: ipsi enim vel duces in exercitu sunt; qui si sapienter, prudenter, actuose munus expleverint, alumnos producent in hac praeclara acie bene exercitatos;

«Inutile enim prorsus est —ne dicam perniciosum— In constituenda studiorum ratione et ordine quinque sexque annos in linguam Latinam discendam insumendos praescribere si idonei desint doctores aptique libri; si que libri et magistri vel maxime primis institutionis annis sunt delegendi cum priores posteriorum annorum sint verum ac praecipuum fundamentum, quo qui careat magnam aedifici molem super instruere unquam poterit. (PALAESTRA LATINA, 29 (1959) 15).

d) «apta via et ratione»; de qua via sermonem instituimus cum Sacrae Congregationis Epistulam explanavimus (cfr. *Ibidem*).

e) «congruoque temporis spatio»: in quo assignando Episcopi et Supremi Moderatores aliquando defecerunt. —Quae omnia statuantur ut, cum alumni ad majores disciplinas accesserint, plenam doctrinarum intellegentiam assequi possint et se scholasticis exercere disputationibus...

Quae tamen multi qui legem benigne interpretari voluerunt ad eos non spectari cogitabant qui serius in clericos cooptabantur. Nunc vero nemo est

qui hanc proferre possit difficultatem; luculentis enim verbis definitur: «Nemini enim faciendus est aditus ad philosophicas vel theologicas disciplinas tractandas, nisi plane perfecteque hac lingua eruditus sit, ejusque sit usu praeditus». In quo pracepto signate verba meditentur: 1) «volumus» — iterum firma Pontificis voluntas exprimitur—; 2) «plane perfecteque»: non igitur rudimenta sufficiunt neque aliquem in scriptoribus interpretandis percipere sensum, neque libros tantum liturgicos mente assequi; sed altius postulatur linguae Latinae studium, nam debent «plane perfecteque hac lingua esse eruditus ejusque usu praediti».

4. Nostra aetate qui curricula muneraque publica appetunt adire tenentur scholas publicas ut studia gymnasialia seu baccalaureatum adipiscantur; qua lege qui sacris initiantur in multis civitatibus tenentur. Neque Ecclesia huic rerum constitutioni refragatur, sed eam probat; attamen quae in hac Constitutione Apostolica de lingua Latina et Graeca praecipiuntur —ob hanc causam— nullo modo imminui debent; et ideo a) si quid de cultu linguae Latinae aliquatenus detractum sit, ordo tralaticius tradendae hujus linguae omnino redintegratur. —Nota verba: *omnino* — *redintegrari* - *censemus*, et agitantum de ordine *tralaticio* (id est commutando) tradendae linguae Latinae; et praeterea illa verba: «cum germanae firmaeque doctrinae detrimento» —quamvis igitur alumni ad alias incumbere debeant disciplinas, studium linguae Latinae prorsus immnuendum non est—, et ideo b) institutionis ratio religiose tuenda quod spectat ad disciplinarum numerum et genera; c) et ad earum docendarum temporis spatia. Quodsi re vera aliae adjicienda sunt disciplinae haec proponuntur remedia, d) aut studiorum porrigatur —protrahatur— curriculum, e) aut disciplinae eaedem —id est quae studiorum ordine civili statuuntur— in breve cogantur, f) aut denique earum (disciplinarum civili) studium ad aliud reiciatur tempus: quo omnes quae afferri possent difficultates contra pracepta in Constitutione Apostolica non probantur, immo repelluntur, et ideo deinceps nemo de clericis «curriculi contracti seu decurtati» loqui poterit, omnes enim pari curriculo linguae Latinae tenentur.

5. Praecepta iterantur et pleniore ratione confirmantur: a) majores sacrae disciplinae tradendae sunt lingua Latina: quia haec lingua aptissima existimatur...: nam propriis certisque vocabulis aucta jam pridem est, quibus integritas catholicae fidei caveatur et inanis loquacitas recidatur;

b) in maximis Athenaeis seu Studiorum Universitatibus, in Seminariis magistri lingua Latina loqui tenentur:

c) et adhibere libros lingua quoque Latina scriptos;

d) gradatim alii doctores in eorum locum sufficientur qui expediti non sint ut his praceptis pareant, quia linguam Latinam usu perceptam non habent;

e) difficultates vero, quae exoriantur, Episcoporum et Moderatorum constantia et bono doctorum animo vincantur necesse est.

6. Quae aliis continentur hujus novae legis praescriptis, jam pridem erant constituta; nunc autem novo pondere novaque auctoritate firmantur, atque, ut perficiantur, asseveranter urgentur. Quod tamen hoc statuitur loco novum prorsus est:

a) primum lingua Latina *viva* asseritur; multi linguam Latinam hac notarunt voce, quae universe de linguis nostrae aetatis praedicatur, a qua tamen nonnulli abstinebant et *vigentem, vivacem...* appellabant; in posterum *vivam* pleno ore dicemus linguam Latinam, quia est Ecclesiae lingua propria et *adhuc vita vigens*;

b) quia ergo est *viva*, vitae quoque signa habere debet; cumque sermo ex multis rerum inventis novisque vitae mutationisque indicis continenter apud omnes gentes succrescit, lingua quoque Latina succrescere debet novisque ditari vocabulis: quae tamen vocabula ¹⁾ nova, ²⁾ apta ³⁾ et congrua sint oportet, ⁴⁾ ratione aequabili —eadem semper seu uniformi— ficta, ⁵⁾ universalis, ⁶⁾ et veteris linguae Latinae ingenio consentanea; ⁷⁾ quam rationem seuti sunt Sancti Patres (cfr. A. BLAISE, *Manuel du latin chrétien*, 1955; Ch. MOHRMANN, *Latin vulgaire, latin des chrétiens, latin médiéval*, Paris 1955); ⁸⁾ et Scholastici (cfr. F. SANTIAGO RAMÍREZ, O. P., *Filosofía y Filología, Arbor*, 32 (1955) 213 sqs.).

Singulare vero propriumque hujus praecepti in eo est ut Academicum Latinitatis Institutum condatur; quod quidem necessarium prorsus est si lingua Latina est adhuc in Ecclesia *viva*, si novis, aptis congruisque vocabulis est locupletanda et si illam insequi debet viam quam Patres et optimi scriptores —Scholastici— ingressi sunt. Ne tamen id privatorum judicio permittatur doctorum corpus constituatur oportet huic rei praepositorum qui prospiciant congruenti linguae Latinae progressioni, et lexico latino nova addant verba. —Notentur: *si opus sit — cum ejus indole — et colore proprio convenientibus: quae ad voces recte fingendas necessaria prorsus sunt.*

In hoc vero Instituto a) confletur oportet corpus Doctorum linguis Latina et Graeca peritorum, b) ex variis orbis partibus arcessitorum; c) qui scholas habeant de universa cuiusvis aetatis Latinitate, d) cum primis de christiana. In his scholis informabuntur ii 1) qui ad linguam Latinam in Seminariis et Collegiis Ecclesiasticis docendam destinantur, 2) vel qui ad decreta et judicia scribenda, 3) vel qui ad epistularum commercium exercendum in Consiliis Sanctae Sedis, 4) in Curiis dioecesum, 5) in Officiis Religiosorum Ordinum.

Quod quidem Consilium constituendum mandatur pari ratione atque in

singulis nationibus Academiae conditae sunt quae linguae patriae provehendae invigilent.

7. Saepe in Constitutione Apostolica sermo incidit de lingua Graeca, nunc vero praecepta dantur specialia, nam lingua Graeca cum Latina quam maxime conjungitur et suae conformatio[n]e naturae et veterum pondere; et ideo statuitur: 1) necesse est futuri Sacerdotes ad linguam Graecam in scholis inferioris et medii ordinis —in inferiore et superiore Gymnasio seu Baccalaureato— instituantur; 2) ut cum sacris disciplinis operam dent, fontes Graecos philosophiae scholasticae, et Sacrarum Scripturarum, Liturgiae, Ss. Patrum Graecorum codices primiformes adire possint; 3) idque praesertim facere possint ii qui gradus academicos appetent.

8. Denique Summus Pontifex Sacrae Congregationi praecipit: 1) rationem paret linguae Latinae tradendae; 2) quam omnes diligentissime servent ita ut qui hanc sequantur rationem, justam cognitionem et usum linguae Latinae capiant; 3) naturam hujus ordinis neque immutari neque imminuere poterunt Ordinariorum Coetus, seu Commissiones, sed tantum aliter digerere; 4) quae vero Ordinarii statuerint ne sibi sumant inconsulta S. Congregatione efficere.

Quae omnia et singula tandem gravissimo confirmantur decreto: «Extremum quae hac Nostra Constitutione statuimus, decrevimus, ediximus, mandavimus, rata ea omnia et firma consistere et permanere auctoritate Nostra Apostolica volumus et iubemus, contrariis quibuslibet non obstantibus, etiam peculiari mentione dignis».

JOSEPHUS M. MIR, C. M. F.

De Josephi Toraldo carminibus nondum in lucem editis

Cum mense Augusto quadam studiorum intercapedine facta, ne otio tabescerem, delectationis causa in bibliothecae armariis libros digererem et designarem, volumen, assimilata pergamena cunctum, cui index: «*Torquati Tassi Hierosolyma Liberata a Josepho Toraldo e versibus Italicis in Latinos conversa*, mihi in manus venit.

Jam dies ad vesperum declinabat; ne quasi fungus putrescerem, motandi corporis causa reficiendique tantisper animi e bibliotheca egressus, litus petivi, ut mira caeli serenitate, maris placiditate, insueta quadam sacri suavitate perfuerer silentii. Ex itinere pedetemptim domum reversus, in libri, quem supra memoravi, lectione, non sine quadam animi mentisve delectatione me totum totam fere per noctem abdidi. Neque vero insequentie die mane de poëtae vita aliquid mihi inquirere difficultimum fuit; multa enim comperi ab ejus nepotibus, quorum ex mentibus tanti viri familiaris et necessarii memoriam nulla umquam delebit oblivio.

Tropeae, in urbe pulcherrima atque ornatissima Italiae Inferioris, saeculis XVIII et XIX doctissimorum hominum Academia floruit, a *Defatigatis nuncupata*, qui eam summa illustraverunt gloria ejusque nomen, non modo apud Italos, sed etiam apud exteris gentes et nationes, amplissimum fecerunt.

Quis enim Paschalem Galluppi, philosophum clarissimum, ignorat?

Eo tempore in sacro ephebeo et magistri et alumni, quorum nomina longum est enumerare, sive disciplinas, quae in veri inquisitione versantur, sive ingenuarum artium studia non sine laude excoluerunt.

In his sunt memoratae digni *Xaverius Polito*, qui mente sagaci hujus nostrae aetatis errores providit et confutavit, *Josephus Scrugli*, eruditissimus rerum scriptor et poëta, *Gofridus Fazzari*, qui Galluppi magister fuit, *Josephus Meligrana*, qui haud pauca de physicis, geologicis, oeconomicis rebus conscripsit. Neque vero *Antonium Hierocadem* praetermittere possum, qui tanta sui ingenii specimina protulit, ut adolescens fere Neapolitanae Studiorum Universitatis doctor et magister renuntiatus, plurima in lucem opera ediderit. Quid denique de *Cajetano Jannellio*, Toraldo aequali, suavissimo poëta dicam?

Inter tot tantosque viros eosque optimarum artium studiosissimos, pos-

tremus tempore, non dignitate quidem, collocandum esse Josephum Toraldum canonicum non dubitaverim.

Ille a. d. XIV Cal Apriles anno D. MDCCCIX nobilissimo est loco natus. Prima juventute ineunte, ad sacerdotium divino instinctu vocatus, Congregationis S. S. Redemptoris suum nomen professus, ita in profanas sacrasque disciplinas summa incubuit laude, ut magistris et sodalibus, quibus exemplo praelucebat, carissimus fuerit. Magna enim mentis celeritate praeditus, ad ingenuarum artium studia se contulit, atque, Ciceronis libris poëmatisque Vergilii et Horatii maxime delectatus, poëticam quoque attigit. Cum autem sacerdotalem ordinem dignitatemque pientissimo animo suscepisset, in Redemptoristarum qui dicuntur, collegium Tropiensium est missus; sed adversa valetudine pressus, duram illius coetus disciplinam deserere est coactus. Quo facto, in patrio Seminario alumnis instituendis sollertam dedit operam, quo per arduo munere Josephus noster maxima cum sui laude plurimorumque alumnorum, erga quos speciem boni parentis prae se ferebat, profectu est perfunctus. Nam, qua humanitate fuit, aequalium animos in se convertit, eorumque benevolentiam, amicitiam, familiaritatem sibi conciliavit.

Canonicus autem creatus, contiones orationesque sacras habuit et, quibus pollebat litterarum ornamentis, tam plane, tam perspicue, tam dilucide dixit, ut magnum nomen sit adeptus. Quoniam vero illis temporibus etiam Tropeae flagitosissimorum hominum secta cum contumeliis tum furore saepenumero in Romanum Pontificem invehebatur, omni ope et opera illeensus, ut vim inimicorum christiani nominis imminueret, eorum errores studio et ardore numquam destitit debellare.

Extrema senectute confectus, magna in Deum pietate vita eque aequabilite morumque suavitate praestantissimus, annos nonaginta natus e vita excessit.

Fuit statura corporis cotidiana; sed apta congruentique membrorum compositione, fronte decorus; ex ejus quoque ore habituque animus audax et firmus perlucere videbatur, quaedam duritia, semper cum bonitate conjuncta.

Hactenus de ejus vita et moribus; nunc ad carmina veniamus, quae quamquam nescio quo fato, multa interierunt, multa tamen supersunt; in his, quod nobilissimum et maximum opus est habendum Torquati Tassi *Hierosolyma Liberata* in latinos versus conversa, quaeque Dantis Allagherii, Francisci Petrarcae, Johannis Boccacci, Jacobi Leopardi, Alexandri Manzoni carmina latine transtulit aliaque quae ipse composuit. Cum anno MCML inscriptionibus, quae cotidie vel in dies certos vulgari solent, de magno Toraldi opere Antonius Bacci, Hyginius Funaioli, Honoratus Tescari, Johannes B. Pighi, Benedictus Riposati, in litteris latinis viri magni nominis, necnon Victorius Genovesius, Josephus Morabito, Petrus Brunus, clarissimi poëtae

atque hujus generis acerrimi existimatores multa scripserint¹, nunc mihi non alienum esse videtur quae sint carminum paene singularium virtutes et vitia tantummodo persequi.

Sed in primis mihi refellenda et redarguenda est ea opinio, quae apud multos percrebuit, Josephum Toraldum, praeter conversiones, tria tantum in Virginem S. S. carmina composuisse²; e contra centum plus minusve carmina paene singularia, verbis, longitudine, sententiis inter se maxime varia, in quibus praeter metrum sapphicum et alcaicum phaleciis hendecasyllabis et alternis versibus longiusculis usus est, studiose et diligenter perpendi.

Quod vero ad argumentum pertinet, alia sunt laudis, alia funerum, alia religionis causa conscripta.

Quae *laudativa* dicuntur, partim Pio IX et Leoni XIII sunt dicata, partim Tropiensibus Episcopis et amicis. Ex illis clare patet quanta pietas, quantus amor, quanta devotio erga maximos sacrorum antistites insita et quasi in animo insculpta fuerint, in his quanto in honore veram et perfectam habuerit amicitiam. Nullam occasionem, laetam tristem, praetermittebat quin versibus extolleret.

Libenti animo referam carmen alcaicum, quod anno MDCCCXCIII misit, pro quo, Dominico Taccone Galluccio Episcopo teste, auctori Pontifex ille Maximus valde est gratulatus.

O celsa navis, cui Petrus imperat,
Tumultuosum cur trepidas fretum?
Non illa tu inconcussa pinus
Aethereo solidata fabro?

Inter procellas tu ratis unica
Submersionis nescia, jugiter
Longo tuo durata cursu
Oceanum imperiosorem.

Si saepe nigro turbine volveris
Latus tu ahenum fluctibus obicis,
Et tuta passo velo in omne
Tempus aquis tumidis triumphas.

Simonis heres forsitan abnuit
Haerere clavo cum mare ferbuit?
Aut linteal, aut malum furentis
Ludibrio Boreae reliquit?

Ductore tanto per vada saxaque,
Syrtesque ab Austris acta procacibus,
Ullum in tot undis passa damnum
Aut minimam tolerata rimam?

Minusque prudens, vel sapiens minus
Qui te gubernat magnae animae Leo?
Quae dira nunc saevit procella
Optimum in arte satis revelat.

1 Cfr. BACCI, *Un insigne umanista dell'ottocento: Giuseppe Toraldo*, in *Docete*, luglio-agosto 1950; in *Osservatore Romano*, I.^o maggio 1949; H. FUNAIOLI, *Una ignorata traduzione latina della Gerusalemme liberata*, in *Docete*, anno VII, 3 dicembre 1950; H. TESCARO in *Scuola e Cultura del 15-31 luglio 1950*; J. MORABITO, in *La Voce di Calabria*, 15 luglio 1950; P. Bruno, in *Il giornale della Sera*, II gennaio 1950; B. RIPOSATI, in *Aevum*, settembre-ottobre 1951... altique.

De carminibus nondum editis vel ita editis ut fere penitus ab omnibus ignorentur cfr. J. MORABITO: *Toraldo inedito*, in *Educare*, a. VII, 1956.

2 Cfr. B. RIPOSATI, *G. Toraldo nella tradizione umanistica dei traduttori latini*, in *Aevum*, a. XXV, 5, Milano, 1951.

Pectusque cinctum robore, triplice et
Aere, ut ruentem haut horreat Africum,
Non impetu Arcturi cadentis,
Nec pluvias orientis Haedi.

Perge eja fidens, nil vehemens tibi
Nocebit Auster, nil mare naufragum,
Leone te ducente, portum
Incolumnis, citoque occupabis.

Carmina funerea velut serta florea super mortuorum sepulcra esse videntur. Ille autem cum aptis opportunisque versibus afflictos superstitem animos, tum defunctorum mores et virtutes magnis cumulat laudibus, cum hujus vitae fugacitatem secum ipse considerat, tuni se et lectores non inani resurrectionis spe consolatur.

Vide quid in Viti Michaëlis De Netta, integerrimi sacerdotis, obitu scripserit.

Quis desiderio lacrimas effundere, cives,
Jam cari capitis sit pudor atque modus?
Perpetuus Vitum sopor urget? pectoris ergo
Continuo exardens mortua flamma sua est?
Quisne facem potuit vitalem extinguere, cuius
Ardor erat totus, totus et ignis erat?
Divini eloquii queis manant flumina semper
Ora tacent, mortis pallor et ora rigat?
Densum humeris vulgus quam accurrens aure bibebat
Prodigiī illa potens vox silet usque? manus
Attollens populis vexillum insigne salutis
Haec immota manet, nempe operosa manus
Gentibus innumeris caelestia dona ministrans
Aeterno mortis frigore pressa riget?
Lumina mendicis largos fundentia fletus
Luce carent semper, clausaque semper erunt?
Heu quando ac parem invenient pietasque fidesque
Nudaque simplicitas, iustitiaeque soror?
Pes erat is claudis, oculus cui lumen ademptum;
Eloquium muto, cui sine patre pater:
Auris et hic surdo, aegrotis medicina salusque
Omnibus ah Michael omnia factus erat.
Praesidium miseris, et spe solamen abactis
Sustulit ex oculis invida parca meis!
Huc adsis civis, lacrimam quoque sparge sepulcro,
Et cole supremo thuris honore virum.

Sed pleraque *ad religionem* spectant. In his carminibus componendis, poëta haud magna mentis vi pollere videtur, quem humi repere censeas. Sed sive vitae D. N. Jesu Christi mysteria, sive Dei hominumque Matris concinit laudes, se sacerdotem plentissimum rerumque sacrarum studiosissimum praebet. Praeterea, cum numquam Divi Alphonsi de Ligorio assecla esse desierit, ejus versiculi numquam carent magno, dixerim, Dei afflatus, quo Alphonsi carmina, sive italica litteratorum hominum lingua sunt conscripta, sive Neapolitani popelli sermone, abunde scatent.

Quantam enim gratiam, quamque altam spirant religionis vim hi phale-
cii hendecasyllabi!

Ut nobis properant dies beati
Nascentem Puerum rigente in antro,
Ignis usque novus meas medullas
Incendit, citharae et ciere chordas
Iam fessas manum adurget imperitam,
Laeto ut carmine concinam Puellum,
Pura et gaudia Virginis Parentis
Caelestis Puer, ecquod igne pectus
Non flagret, Superos beat qui Olimpo,
Lustro sub gelido furente bruma,
Stratum gramine membra vagientem
Cernens? Et spoliis gravem caducis,

Tempus cuius origo nescit ullum,
Ante Luciferum editum Parente?
Et qui gloriam habet parem Paternae
Lacrimari hominum velut misellum?
Flammis qui Seraphim urit in supernis
Aulis, et Dominum omnium indigere
Quo se calfaciat vel igne paucis?
Ah! quis aut hominum, aut quis Angelorum
Arcanum capere hoc valet supernum?
Mirus Patris amor Satique mira
Par clementia! Mens stupet... cor ardet...

Quid tandem comptius atque elegantius carmine, in quo fletum Divinae
Matris dulcissimo Filio orbatae et lamenta narrat?

O pulcherrimus omnium virorum
Sanguis gnate meus, meusque ocellus,
Quis te candidulas manus, tuosque
Pedes, et gremium foravit ense?
Quinam tam nitidos venustulosque
Concrevere tuos crux crines?

Eheu, qui sine te parens doloris
Auris nunc potero frui beatis,
Vitae, deliciae meae, decusque,
Quem tunc plus oculis meis amabam?
Modis flebilibus videte o omnes,
Si dolor similis meo dolori est.

Neque tamen hos omnium pulcherrimos locos esse affirmo; multi enim
alii sunt, quos si enumerare et referre velim, me tempus et spatium deficiat.

Quid enim jucundius numeris, in quibus B. V. Mariae et humilitatem
et animi candorem et divinam extollit pulchritudinem?

Illam quidem ante oculos effigiem habet, quam in maximo Tropiensi
templo debito veneratur honore, quamque a divo Luca Evangelista pictam
esse dicunt, cujus amore et studio Toraldus noster veluti aliquo Musae affla-
tu concitari atque confirmari videtur.

Sed, si quis a me quaerat unde Toraldus noster hauserit, veteres
latinos auctores primum, deinde Sacras Litteras puto. Ille enim plurimos e
Vergilii, Horatii, Catulli carminibus versus decerpit, non modo verba et
imagines, sed quama Graeci οὐναξιν dicunt ac metricam rationem; in hymnis
autem ad B. V. Mariam non solum Sacrarum Litterarum versiculi, sed para-
phrases quoque reperiuntur.

In uno carmine de *Judeis in Christum saevientibus*, poëta noster ab Ho-
ratio septem mutuavit versus³. Quid de Vergilianis versibus dicam? Hos

3. Deliberata morte ferocior (Hor. I, 37, 29)
Deliberata morte ferocior (Tor. Ad Jud. 13)
Gens humana ruit per vetitum nefas (Hor. I, 4, 26)
Per vetitum ruit omne crimen (Tor. I, 4, 16)

poētarum locos auferre et surripere gratum et jucundum nonnullis est, sed non omnibus omnimodo placet.

Quibus delibatis, nunc breviter *de sermone stiloque dicam.*

Versus non desunt pulchri quidem, ornati, politi, elegantes, quibusdam quasi luminibus distincti, verbis sententiisque graves, et ad vehementes animi motus effingendos accommodati. Neque tamen in iis carminibus omnia perfecta aut absoluta esse censueris; multa e contra incohata et quasi informia cum in verbis tum in numeris inveniuntur, atque exercitationis tantum causa conficta. Quod autem ad versus faciendi artem attinet, non saepe sed saepius reprehensione dignus esse videtur, non quod et in hymnis et in elegis versus breviores aut longiores justo conficiat, sed haud raro syllabas, quae breves sunt, producit, quae longae corripit.

Sed non hoc est praetereundum carminibus extremam non accessisse manum.

Nam eum, qui sua carmina manuscripta reliquerit, jure meritoque taderere potest si se iis vitiis, quae scribendi incuria irrepserint, videat objurgari.

Saepe enim poēta, ne divinus quidam afflatus cohiberetur, ex industria, ut fieri solet, quaedam incohata reliquit, ut ad ea mente pacata rediret quaeque subito procreata perpoliret. Idem, si licet magna cum parvis comparare, cum Aeneada componeret, Vergilium fecisse constat. Nonne enim in illo poēmate, quo nihil in eo genere poētae latini perfectius prodiderunt, quinquaginta quattuor versus ne justo quidem pedum numero habentur? Nam, ut omnes sciunt, Mantuanus ille, paucis ante diebus quam e vita excessit, carmen, quod sibi perpolire et elaborare non licuisset, amicos comburere jussit. Eadem de Toraldo dici possunt. Praeterea, ille a natura nobilissimum quidem ingenium habuit, sed ipsa nimia scribendi facilitate deterritus est ne versus nullo fere labore fusos accurate emendaret.

Sed, hisce neglectis rebus, omnia Toraldiana opera magna ingenti facultate suum auctorem fuisse testantur, cui inter linguae latinae cultores haud indignus contigerit locus: illum nonnumquam fuisse bonum poētam, semper latinitatis studiosissimum, quae extremae hujus Italiae fuisse atque esse videtur decus et patrimonium.

FRANCISCUS ALOISE

Non verberatae grandine vineae (HOR. III, 1, 29)

Ut verberatae grandine vineae (TOR. 1, c. 17)

Maeenas atavis edite regibus (HOR. I, 11)

Tuere, vates regibus edite (TOR. 1, c. 32)

Vides ut alta stet nive candidum (HOR. I, 9, 1)

Os atque divum nive candidum (TOR. 1, c. 54)

Qui siccis oculis monstra natantia (HOR. I, 3, 18)

Videre siccis luminibus potes (TOR. 1, c. 55)

S M A R A G D U S

JOSEPHUS FABRICIO SUO S. D.¹

Scio te meos romanos expectare nuntios: nec volo id nimis differri, quod certis saltem intervallis temporis dare tibi cupio. Quid tibi scribam, quid te edoceam? In publico legumlatorum coetu heri oratorem quemdam, quasi favilla subitae irae succensa, in scamna prosiluisse, gladiatorio more membra agitasse et, compressa in pugnum manu, conlegae nasum obtudisse et illic mulionibus permittenda insonuisse verba visne a me minutissime percipere? Haec prorsus sunt caulis, non aulis digna. Ubinam italici nominis majestas, ubinam procerum dignitas?

In latinarum litterarum re publica volo te potius tecum aliquantulum iter facere et colloqui, ut serena inde libes oblectamenta, quin etiam et salubres medelas: namque ita ex ineptiis hujus aetatis machinalis et evanidae prorsus evadere niteris.

E latino carmine quod iterum iterumque legi, volo a me dulcissimum quidquam haurias et degustes; quod carmen in Hoeufftiano certamine anno MCMLVII aureo nummo donatum est. Lema ejus? *Smaragdus*². Auctor? Ferdinandus Maria Brignoli, Romani Lycei a Hugone Foscolo Praeses. Dixeris id a latinis musis conscriptum: tam excultum et doctum, tenerum et elegans, canorum et nectareum est. Gemmariae artis vocabula, quae poëta noster a Varrone, ab utroque Plinio, a Prudentio, a Claudio, a Sidonio Apollinari excerptis, huc ubertim irruunt, hic splendide nitent; subtilis profecto candidus et varius est adflatus, qui hos format animatque versus.

Brevi absolvam hujusmodi carminis argumentum.

In tabula fabri, vitrea lampade concolorem noctis umbram vincente, lumen caela, limae, stili, malleoli, dolabellae et alia elaborandis gemmis apta instrumenta. Sub luce ipse sedens faber e gemmarum parvo acervo unam detrahit prasini coloris:

1. Epistulari hoc scribendi genere utor quemadmodum in tercia parte mei operis, cui *Inscriptio Tiberinae voces* (Romae, Ed. Desclée, 1959).

2. FERNANDO MARIA BRIGNOLI, *Smaragdus* («Lo smeraldo»), Roma, Alleanza Tricolore, Largo Arenula 34, anno 1957.

*Continuo prasinum fabri nunc dextera sidus
 Arripit ac trepidans concava palma capit.
 Intuitus tersam paullum liquidamque smaragdum,
 Num macula officiat vel mala vena notet.
 Ad subtile suum vir opus caelamina doctus
 Incumbit: digitos impiger urget amor.*

Quanto labore ipse incumbit ut gemma rasa, dolata, quadra exsistat atque omnibus e suis latusculis fulgura lucis fundat. Torni fervida rota currit; adamas tortas oras retundit; limula terit; purus latex effluit. Tandem rutilans emergit pretiosus lapis, ut viridis bacula lucis rore madida, quae arva, prata, rivos, quidquid in rerum natura viriditate ridet, summatim exprimit; nymphae quoque, caerulea induitae veste, abeuntem venustatem cogitationes animi intendi jubet.

Posthac artifex selectam auri procudere properat, qua smaragdus firmiter innitatur et colorum oppositu magis conspicua fiat. Crepitant fornaces, exaestuat aér, emicant favillae, fumifera nubes camini antra replet:

*In medio faber est, humeros et brachia nudus,
 Cui corpus nitidus sudor et ora rigat.*

Librato malleolo, punctim caesimqua progrediente viriculo, in subcava operis forma conspiciuntur descripta anni tempora et alternae solis agrorumque vices.

Quod feliciter perfecit diu miratur faber: bulla prasino splendet nitore. Nunc autem quasi velamine detecto, carminis fictio patescit. Faber est ipse poëta, qui non gemmas, sed splendentia verba ligat. Non est illi smaragdus in arca: pro munere gemmae ipse carmen compegit:

*Carmine vile tamen fuerit magis omne monile,
 Si blandis oculis caram, amata, leges.*

Summatim tibi exposui hujus elegiae colores, spiritus, gratiam: cum hoc carmine nostra aetate pauca comparari possunt, quae aequa atque id elegancia et absoluta inveniantur. Quod si perlegeris, puto id a te hodiernae latinae poësis micantissimam gemmam aestimatulum iri.

Cum de lapidum pretiosorum nonnullo genere et pretio nunc agatur, volo tecum replicare laudes, quibus Plinius universe extollit gemmas. Quae ita aestimantur, «ut plerisque ad summam absolutamque naturae rerum contemplationem satis sit una aliqua gemma»¹. Nominatim autem is smaragdum plurimi facit, quae quidem nobis spei insigne — ecquid possumus spei expertes vivere? — pulcherrimo nitore oculos mulcet, animum recreat: «Nullius co-

1. Nat. Hist. XXXVII, 1.

loris aspectus jucundior est. Nam herbas quoque viventes frondesque avide spectamus, smaragdos vero tanto libentius, quoniam nihil vividius comparatum illis viret. Praeterea soli gemmarum contuitu implent oculos nec satiant. Quin et ab intentione alia, aspectu smaragdi recreatur acies, scalpentibusque gemmas non alia gratior oculorum reflectio est, ita viridi lenitate lassitudinem mulcent. Praeterea longinquo amplificantur visu inficientes circa se repercussum aëra, non sole mutati, non umbra, non lucernis, semperque sensim ridentes et visum admittentes ad crassitudinem sui facilitate translucida, quod etiam in aquis nos juvat, ¹.

Majus adīcio smaragdi celebranda p̄aeconium. Ipsum solium Dei, teste Joanne Apostolo, maragdorum circumactum fulgetris rutilat: «*Iris erat in circuitu sedis, similis visioni smaragdinae.*» (Apoc. IV, 3). Quae visio in memoriam redigit foedus salutis, reconciliationis gratiam, misericordiam Dei placidissimam, qua indigemus, ut expiatis noxiis, pie, pure, juste vivamus et, post procellosa discrimina rerum, supernam aeternae pacis aulam consequamur. Cum smaragdum intortis oculis cernis et in ea tuam ipsius imaginem coruscantem contemplaris haec in mente habeto et rebus inhia optimis, lux mea, festivitas mea.

Magna a te exspecto: magna igitur specta, gravia meditare, p̄aeclara agenda tibi propone, numquam neglecto litterarum cultu, quo si carent, homines non in polite sentiendo et loquendo gemmei, sed lapidosi, rusticani, asperi esse videntur. Vale.

JOSEPHUS DEL TON

1. Ibid., XXXVII, 5.

P R E S E P E

La pecorina di gesso
sulla collina di cartone
chiede umilmente permesso
ai Magi in adorazione.

Splende come acquamarina
il lago, fredo e un po' tetro
chiuso fra la boraccina,
verde illusione di vetro.

Lungi nel tempo, e vicino
nel sogno (pianto e mistero)
c'è accanto a Gesù bambino
un bue giallo, un ciuco nero.

GUIDO GOZZANO

P R A E S A E P E

*Gypso creata parvula
ovis petit licentiam
in collibus cartaceis
regibus adorantibus.*

*Beryllus ut maritimus
nitet lacus teterior
quem muscus ambit undique,
vitri virentis lustro.*

*Temporibus et somniis
(fletibus et mysteriis)
sunt prope Jesum parvulum
bos flavus, ater asinus.*

I R E M A G I

Una Luce veriglia
risplende nella pia
notte e si spande via
per tante miglia e miglia.

«O nova meraviglia!»
«O fiore di Maria!»
Passa la melodia
e la terra s'ingiglia.

Cantano, tra il fischiare
del vento per le forre,
i biondi angeli in coro:

Ed ecco Baldassare
Gaspare e Melchiorre
con mirra, incenso ed oro.

GABRIELE D'ANNUNZIO

M A G I R E G E S

*Nocte pia rubeis radiis jubar ecce coruscat:
milia per quotnam pervolat atque velox.*

*«O nova pertendens nobis, flos alme Mariae!»
Dulce melos canitur, lilia terra gerit.*

*Gaudent, convalles altas furiantibus austris,
prodigium angelici concelebrare chori:*

*perveniunt Gaspar, Baltiassar, Melchior, aurum
cum myrrha referunt et pia tura Magi.*

Latine vertit: RAPHAEL PAONE, Patavi

NON UT LUPUS HOMO...!

«*Numquam dente lupum rabido lupus exedit,* —ille
 quem timet omnis ovis—;

namque pilos mutat, vitia at non mutat in annos,
 nec vorat ipse suos.

Ast alius quandoque lupus sine dentibus atris,
 mente voracior, est:

qui quaerens animas quas devoret, ipsas
 Daemonis instar adit,

qui que pilos mutans, magis his albescit et atrox
 crimina plura patrat;

est homo...! non simplex lupus; is conferret amicos
 et vorat usque suos...

Ut lupus usque lupo, o utinam per saecula fuisse
 usque homo sic homini!

Non bellis hominum —quantum pejora ferarum!—
 corda petusta suis,

saecula nec totidem Christi lex vana fuisse
 verbaque spreta forent;

nec fureret rabies... quam (Eugūbi gloria notast)
 exuit ille lupus!

Hoc opus est: Hominem ex homine exuere»! Ast homo perstat:
 est homo semper homo!...

RAPHAEL PAONE

Patavi, anno MCMLXII.

PROVERBIA EX ADVERSO ACCEPTA

«*UBI HAESERO IBI MORIAR...» —HEDERA—*

Numquid amore vigens, hedera ut moriatur ubi haesit,
 celsas dum quercus moenia et alta tenet?

Rupibus insidians spiris, serpentis ad instar,
 insidet atque cavis turribus ipsa tenax.

Haud dubie annorum cursu moriatur oportet,
 robora cum recubant, moenia et ipsa ruant.

Fit muris aries taciturnis cornibus illa,
arboribus sensim tametis ira latens!
Cum, quibus exstabant, vires ea suxerit illis,
ejus erit finis, quae sine fine sitit...
Occisis frusta superest! nam murus eandem
obruit ipse cadens, arbor itemque secat.
Numquid amore vigens hedera, ut moriatur ubi haesit?
Perfidior cunctis est «hederosus» amor!

«NULLA ROSA SPINA CARET!...»

Semper habes spinas, florum regina beata,
seu Paestana nites, seu Cytherea rubes;
veris honor, Veneri flos tu gratissimus ipsi,
non his cupidibus vulnus amoris alis!
Alba genas, seu sanguineo fulgore coruscas,
nonne nocent spinae floribus hisce tuis?
Immo, quot in latis spineta minantia terris,
queis rosa nulla datur, saevus at horror inest!
Unica saepe rosa es spinarum ex mille catervis;
cuique tuo flori spicula acerba rigent.
Haud secus adspicitur, morientis ad hystricis instar,
omni flore carens indica ficus iners.
Heu mihi! sunt hominum spinarum cincta phalange
corda rigentque animae quas premit acre dolor!
Flores o crescant... minuant ac spinea sertam,
vel precor aequentur floribus illa tuis!
Quisque rosas aequans cum spinis floreat hortus,
ut nulla in mundo spina sit absque rosa...!
Cum risu lacrimas aequet Natura benigna:
tristitiam faciat laetitiamque pares...!

J O C O S A

IN NIMIS ELATAM POETRIAM «TITTAM»

Raphaelis Paone brevis fabula:

Cur rident aquilae, rident et arachnidis artem
 ipsae lusciniae —non quasi caesus Itys—?
 «Titta», sibi sitiens aquilae sublimis et alas
 et sibi lusciniae guttur habere studens,
 struxerat insidias (nam vallis aranea «Tittast.»)
 quas leviter fregit rauca avis, imo rotans...
 —Ausō parce mihi te sic componere, Arachne,
 cum «Titta»: Pavo raucus et imus Ego!

Florentiae, a. MCMLX.

«ALTER OCULUS PRUNAE ERAT... ALTER ERIT FLAMMAE!...»

Cui «GENERALIS erat DUX» ad ludibria nomen,
 Roccolus ille miser verbera multa tulit:
 fortiter uxor eum nam nocte diuque retudit,
 ictibus ut festis malleus aera gravis.
 Dum Parochus sacra Missam bene cantat in aede,
 assidua scopula Roccolus ecce sonat.
 Torruit ex oculis illi titione priorem
 olim, post pugnos quos dedit illa furens:
 «Ex oculis —inquit demum pacata marito—
 alter erat prunis... ignibus alter erit!..

In pago «Sancto Felice».

M A E S T A

D. Franciscus Simeon, poëta idemque canonicus theologus Gherardinae, sorori suae desideratissimae has lacrimas italicis versibus elegiacis fundit:

Configis heu nostri tu pone doloris opaca
 nubila tam tacite tamque repente, soror,
 regalique gradu, forma specieque decoram
 obvia te exoptans meta beata vocat;
 Teque tenent nostri medio de calle volantem:
 visa beata magis multiplicata beant!

Te sol almus alit, nondum qui nubila frangit,
palpitet ut fulgens aла benigna Tibi;

Sicque magis facilis via dat lenimina poenis,
plures et lacrimas tergere, sancta, vales.

Te domus exspectat... Rugas Tu verrere possis
angelicis alis nostra per ora... Vale!

Ex italico carmine elegiaco latine vertit

RAPHAEL PAONE

De quadam "perdita ove" et de quibusdam perditis libris ad Joannem B. Pighi epistolium

«A domino potius liber invenietur amanti
quam tua per nemorum devia dulcis ovis:
Lapsus amicorum meus inter amica meorum
antra manusve liber pervolat usque vagus;
sic tua per valles errat rupesque silentes,
inter et hirsutos corde tremente rubos.

Captus amore, boni Jesu pastoris ad instar,
(nonne libellorum sum quoque pastor amans?
pastor amans oves, librorum more vagantes
quos frustra domini vox ad ovile vocat)

Illam quaesivi trepidans mea corda per antra,
per gelidas valles, per loca saeva lupis.

Audivi dubitans quos tintinnabula lento
dant, quos tinnitus vocis imago refert;
mollis tam miserae currit balatus in auras
atque lupos acuit... fors moritura gemit!

Spes mihi jam cecidit: quibus est ambagibus illa?
cujus erat generis, quove colore fuit?

Curnam, docte, tuam saepsisti, docte Joannes
tamque tuis spinis cingere fortis, ovem?

At nimium, fortasse, tibi est ovis illa colenda
ut celes alios invidiosus eam...

quare, cinxisti duris tam vepribus illam
ut non inveniat ne lupus ipse quidem!».

Haec lege cuique meum gaudet retinere libellum:
fac patri redeat prodigus ille suo...

Haec lege, docte, mihi parcens haec pauca jocato,
sicut epistolium quod tibi mittat... «ovis»;
cujus epistolium quae sunt Post Scripta videto
nam meditanda, cito dein facienda tibi:

«Qinque novem deciesque novem per prata, Joannes;
ad numerum centum me quoque redde. Vale.

Florentiae.

HELIUS CAMPANUS

Clavos a militibus romanis primo post Christum natum saeculo in Caledonia relictos reppererunt studiosi antiquitatum

*Inexpectatum quid evenit in pago cui nomen Inchtuthil ubi milites romani impe-
rante Julio Agricola jam multos annos Caledones domabant... Regrediendum erat.*

*Militibus hujus loci muniti imperatum erat nequid relinqueretur quo hostes
Caledones uterentur...*

*At tandem deerant currus plausta vehicula quibus auferretur copia clavorum
quaedam aestimata maximi... quos si funderent Caledones sibi arma parare possent.*

*(Nonne narravit Herodianus scriptor rerum romanus aestimasse Caledones ferrum
majoris auro argentoque?)...*

Quid faciendum?

*In fossam duodeviginti pedes altam in angulo horrei factam clavos immiserunt
superposita terra sex pedes alta. Tum ne quod indicium maneret loci utrumque ita
anguli murum aedificii superstruxerunt ut et fossa et quae in ea condita erant mille
nongentos ferme annos remanerent...*


*...Egregii doctores qui nuperrime fossam fodiendam curaverunt clavos
e terra extractos admirati sunt adhuc habentes et quadratam formam et
aciem qualia die quo finxerunt fabri, adhuc splendentes nonnullis partibus
etsi paullum ferrugine contectos. Paene eos tantum abhinc viginti annos
formatos dixeris vel triginta...*

*Plus quam septingenta quinquaginta milia sunt reperta clavorum e quibus
minores decem longi centimetra erant, maiores vero octoginta, quorum pon-
dus ad septem chilogrammatum milia erat parte chalybeji parte ipsius ferri...*

*Quos cum fabri facerent remotis rebus infusilibus ab ferro infecto iterum
iterumque et calefiebant et malleo tundebant primo in laminas lateresque
formantes, dein et in clavos ad imum acuentes et vertices caedendo fingentes.
Quantas horas, quot virorum ad tantum opus...*

*Cum pro certo habeant egre-
gii doctores clavos paratos esse ad
castra militibus aedificanda, nes-
ciunt usum ad quem clavi aptandi
sunt. Epistolas tamen accipiunt
quarum scriptores, exempla clavo-
rum rogantes, in mentem revocant
hujusmodi clavis paucos ante an-
nos usos esse milites qui cruci
Christum fixerunt.*

CUTHMANN FRANCIS
Ex insula Melita, St. Michael's College



Inchtuthil non multum ab urbe Perth distat.

DE LATINO NOMINE URBIS QUAM «LOURDES» GALLI VOCANT

In media illa urbe, alta et abrupta eminet rupes quam antiquum coronat Castellum cui nomen prius erat «*Mirambel*».

Cum autem anno a Christo nato 718 Saraceni illud expugnassent, ex eorum ducis nomine, «*Lorus*», vocatum est.

Inde, ut nonnulli suspicantur historici, haec vox annorum decursu adulterata ad ipsum pagum transivit qui sic vocatus est «*Lourdes*».

Exstant tum pontificalia, tum civilia documenta in quibus latine inventur «*Lurda*». Quandoque ulterius (saeculo XIV) habetur «*Lorda*».

Porro, ob loci celebritatem quam a B. M. V. apparitionibus acceperat, Pius X Pontifex Maximus, per Sacrae Congregationis Consistorialis decretum die 20 Aprilis anno 1912 datum, statuit ut «ecclesia cathedralis Tarbiensis ejusque episcopus novo *Lapurdensis* titulo honestarentur».

At, eo quod «*Lapurdum*», *Bayonne* semper designasset et non *Lourdes*¹, dioecesis Ordinarius ab eadē Congregatione die 14 januarii anni sequentis (1913) rescriptum obtinuit quo «facta est potestas adhibendi in posterum... loco *Lapurdensis* tituli, titulum *Lourdensem*».

Nihilominus Vaticana Martyrologii editio anno 1914 data (itemque posterior anni 1922) non est hac de re emendata, nam in die 11 Februarii pro B. M. V. apparitionis festo, adhuc legitur: «*Lapurdi, Gallia...*»².

GREGORIUS JOSEPH, O. S. B.


N. D. de Tournay.

1. Notandum est tamen, notissimum apud nos Glossarium anno 1898 editum, Quicherat auctore, «*Lapurdum*», gallice in *Lourdes* vertere; quod apud nullum alium inveni.

2. Cum abjectivum «*lapurdensis*» a nomine «*Lapurdum*» derivetur, facile putetur vocem «*lourdensis*» a nomine «*Lourdum*» item repetendam esse, a quo errore ego ipse cavere nescivi.

Dicendum est ergo «*Lourda*», vel melius quia antiquius, «*Lurda*». Curiae episcopalīs acta quae ibi eduntur sic subscribuntur: «*Lurdae* datum».

EPISTULARUM INTER SOCIOS COMMERCIUM



SACRA CONGREGATIO
DE SEMINARIIS
ET STUDIORUM UNIVERSITATIBUS

Romae, a. d. XXII m. Maji
a. D. MCMLXII

Reverendissime Domine,

*gratissimas accepi litteras a Te V. Idus Maias
datas, quibus Constitutionem Apostolicam «Veterum Sapientia» Te acce-
pissemus nos certiores facis, simulque gaudium ob tantum donum Ecclesiae a
Domino Nostro Joanne XXIII collatum ex animo aperis.*

*Haec studiorum Sacra Congregatio Tibi gratias agit singulares, quod
in fasciculo PALAESTRAE LATINAЕ mense iunio edendo ipsam Constitu-
tionem vulgandam, atque commentarium de eius gravitate et pondere de-
que praecipuis normis quae in ea continentur apte exarandum decreveris.*

*Te insuper tuosque confratres, de lingua latina promovenda usque
impensis sollicitos, nos debitibus laudibus honestare delectat, qui, ipsas
sanctissimi patris Antonii M. Claret vestigia secuti, nullo non tempore lin-
guam Ecclesiae a neglectu vindicare, hic atque illic collabentem sustinere,
pollenti data opera doctisque editis libris ditare, provehere, in pristinum
florem restituere summo studio contenditis.*

*Sine igitur, Reverendissime Domine, nos Te vehementer hortari ut
huius modi apostolatum incremento magis magisque augeas ad Ecclesiae
utilitatem veraeque humanitatis profectum.*

*Optima quaeque Tibi toto corde adprecatus, maneo
in Christo Jesu add.mus
I. CARD. PIZZARDO*

*Rev.mo Domino
D. JOSEPHO M. MIR, C. M. F.
Commentariorum «PALAESTRAE
LATINAЕ» Moderatori*

† LINUS STAFFA, a secretis

Bernardinus Fontaninus O. S. B., Patri suo Rev. Josepho M. Mir, C. M. F. salutem.

Gratias tibi plane ago quod tam benigne de meo labore sentis, etiamsi nequivi singularum vocum a me cusarum rationes reddere. V. gr. si *Gualeguay* (Vallem Aquariam) «Antoniā» voco, ex eo provenit quod incolae urbis et tractus (*del departamento*) jam inde ab exordiis Antonii Patavini Divi tutelae, in oppido aedibus exstructis ad Sanctum colendum et demerendum, se commiserunt.

Cardinalis Baccii vocem *Bonaēropolis* libenter accepimus, nisi quod «*Bonus Aēr*» (cur non et «*Boni Aēres*»?) et «*Bonae Aurae*» jam satis diuturnum usum habent.

Ipse malim *Interamniae* dicere. Elegi autem *Interamnae* sine interjecto —i— propterea quod *Interamnae* sine isto —i— apud Romanos ipsos obtinuit. Hoc libenter tibi concedo. Si malueris *Interamniae*, ego item consentio.

Quod spectat ad illud horribile nomen *Gualeguaychú*, horribile dico aribus latinis, quo nostra dioecesis notatur et urbs episcopalis vocatur, etymologiae ope sonora haud dubie vox et apta inducitur. Nonne talis est *Vallis-subia* vel *Flavia*. Utra vox praferenda sit nescio. Nam si Latinis nota fuit «*Flavia*», «*Vallissubia*» certe magis retinet sonos primigenios.

Quae cum ita sint, longius progrediar, tametsi nunc ad alias americanas gentes indice conficiundo accedam.

Vos autem, palaestritae, qui alacritate summa Johannis XXIII votis obsecundatis, utinam propediem rem latinam crescentem cernatis, ut docti homines ad romanum sermonem tenaciter se conferant calamo et lingua utendum.

Deus te fortunet.

Ex Monasterio Divini Infantis, ante Diem XV Cal. Apr.

INDEX NOMINUM AMERICANORUM LATINE

1. *Aequatoria* -ae f. *Ecuador*. — *Aequatorianus*.
2. *Argyropolis* -is vel -eos f. *La Plata*, in *Argentina*
3. *Assumptio* -onis f. *La Asunción* (in *Paraguaria*)
4. *Bolivia* f. *Bolivia*. — *Bolivianus*
5. *Bogota* -ae f. *Bogotá* (in *Columbia*)
6. *Bostonium* n. vel *Bosto* -onis m. *Boston* (in *U. S. A.*)
7. *Canesae* -arum f. pl. *Kansas* (in *U. S. A.* seu in *Civitatibus Foederatis Americae*)
8. *Caracae* -arum f. pl. *Caracas* (Urbs princeps in *Venetiola*)
9. *Clivus Zamorensis* m. *Lomas de Zamora* (in *Argentina*)
10. *Cuba* -ae f. *Cuba*
11. *Dominicana* -ae f. (*Respublica*) *Santo Domingo*
12. *Dismundus* -Ditismundi m. *Richmond*

13. Foederatae Civitates Americae vel Usa -ae f. (in America Septentrionali)
14. Goja -ae f. *Goya*. — *Gojanus* (cfr. *Troja*, *trojanus*)
15. Guatemala -ae f. *Guatemala*. — *Guatemalensis*. — *Initium Gua.* est quid insolens auribus latinis. Malim • *Vatemala*, *vatemalensis*.
16. Arriōca -ae f. *Guadalajara*. — *Guadalajara* per nomen antiquum urbis hispanicae vertendum censeo
17. Hatia -ae t. vel *Haitisum* n. *Haiti*
18. Hondurae -arum f. pl. vel *Honduria* -ae f. *Honduras*
19. Insulae Malvinae f. pl. *Islas Malvinas* (prope Argentinam)
20. Yucatanum n. vel *Yucatania* f. *Yucatán*. — *Yucatanus*
21. Ludovici Fanum vel *Ludovicinum*, *San Luis*
22. Mexicum n. (fines, territorium et urbs) *México*
23. Micigōnum n. *Micigania* f. *Michigán*
24. Mondovisum n. *Mondovi*
25. Missurīsus -i m. *Missūris* -is m. *Missuri*
26. Monsvideus — *Montisvidei* m. *Montevideo*
27. Mons regalis m. *Montréal*
28. Neaniopōlis -is -eos f. *Youngstown*
29. Opulentoria -ae f. *Costa Rica*
30. Ottava -ae f. — *Malo* • *Octavia*, -ae f., quo nil latinius
31. Panōma -ae f. *Panamá*
32. Paraquaria -ae f. vel *Paraquarium* n. *El Paraguay*
33. Peruvia -ae f. *El Perú*. — *Peruvianus*
34. Portulandum n. *Portland*. — *Portulandinus*
35. Pax -Pacis f. vel Irenopōlis -is -eos (in Bolivia)
36. Uruquaria -ae f. *El Uruguay* (Respublica)
37. Uruquarium n. *Uruguay* (oppidum interamnense)
38. Trentonia -ae f. vel *Trento* -onis m. *Trenton*
39. Truchillum n. *Trujillo*
40. Vasintonia -ae f. *Washington*
41. Venetiola -ae f. *Venezuela*
42. Vernus Lacus n. aut *Fontanus Lacus*. *Spring Lake*

BERNARDINUS FONTANINUS, O. S. B.

Reverendo Patri J. M. Mir, amico in Deo carissimo, fr. Basilius O. S. B. s. d. p.

Menses multi (nimis multi) transierunt ex quo tibi nihil nisi litterarum. Cum enim mense majo superiore tuae mihi litterae sunt allatae, languens in lecto jacebam magna febri vexatus. Hinc factum est ut tibi sacrum jubilaeum celebranti nulla scriberem gratulatoriam epistulam. In Domino tamen non intermisi quin pro te preces et amica vota funderem.

Vir quidam (Anglus, ut videtur) per litteras quaerit quomodo latina

vertenda sint russica virorum aut mulierum nomina. Hic putat omnibus his nominibus latinam formam imponi debere, ita ut dicamus et scribamus,
 v. gr. pro «Molotov» - Molotovus;
 pro «Dostoievsky» - Dostoievskyus;
 pro «Mikhaïlovitch» - Michaëlius,
 vel: Michaëlensis;
 vel: Michaëlis filius, alia similia...

Mihi autem hic modus omnia personarum nomina vertendi servari posse non videtur. Praenomina quidem vertenda sunt (*Fedor* = Theodorus; *Lev* = Leo...). De cognominibus autem memini me olim hoc praeceptum receperisse: «Nomina virorum aut mulierum ne terminationibus deformentur». Dicamus igitur et scribamus: «Molotov, Gogol, Dostoievsky», nullo addito signo latinitatis, nulla desinentia.

Difficilius est judicare quid faciendum sit de nominibus quibus filiatione signatur, v. gr. «Mikhaïlovitch» (quo «Michaëlis filius» significatur). Num ea quoque intacta remanebunt? Num latina quadam translatione donabuntur? Anceps haereo. Tamen, intacta relinquere malim, et simpliciter scribere: «Mikhaïlovitch, Mikolaïevitch...».

Dic mihi, quaeso, hac de re quid tibi videatur, ut hanc quaestionem in *Vita Latina* quam brevissime exponere per te possim.

Sancta cum animi jucunditate magnaque veneratione ea legi quae in PALAESTRA LATINA scribeistis, tu et confratres tui, de Barbastrensis Martyribus. Pulchrum est pro Domino sanguinem fundere, qui nos sanguine redemit suo. Beata, vere beata Congregatio vestra: «floribus ejus nec rosae nec lilia desunt». Auxilientur nobis de caelo Christi martyres, ut eorum vestigiis fideliter insistamus.

Vale in Domino, carissime Pater, meique apud Beatam Virginem memineris.

FR. BASILIUS, O. S. B.

Scr. a. d. V. id. mart. MCMLXII.

Jos. M. Mir, CMF. Patri suo Rev. Basilio, OSB. sal. pl.

Scripsisti ad me epistulam officii plenam, qua simul nostram Avennione commorationem recordari me coēgisti. Maneat illa in litteris et in Christo consuetudo!

Quae vero strictim tuis litteris attigisti multam secum habent difficultatem; nam non omnes scriptores in eandem conveniunt sententiam, neque eadem opinantur ratione. Meam, quam expostulasti, ingenue hisce plagulis explicare sum conatus.

Indulgeas velim quod tanto temporis spatio ad te non rescripserim, nescis sane quibus distinear negotiolis...

Sua te Christus Dominus gratia et pace satis abunde his Paschalibus festis te omnesque vos cumulet. Vale. Scr. die 21 mensis aprilis, sacratissime sabbato, a. 1962, Barbastro.

Quo modo nomina propria et cognomina virorum et mulierum latine efferre et scribere oporteat

I. Nomina propria virorum et mulierum flexione donentur oportet.

Nostrae aetatis consuetudo qua haec nomina immutata semper exscribuntur vel efferuntur prout in patria lingua exstant, non videtur, cum latine scribimus, retinenda. Quamplurima¹ Hebraeorum,² Graecorum,³ Persarum,⁴ Germanorum,⁵ Saxōnum et Anglorum,⁶ Slavorum nomina⁽¹⁾ cum in linguam latinam sunt recepta, semper inflexa et declinata sunt; ut:

1. David, Dalila, Moyses, is, Lazarus...;
2. Damasus, Damōcles, Cosmus, Leander, Cleopātra ..;
3. Darius, (Darēus)...;
4. Conradus, Vitīgis, īdis, Volfangus, Valdo, ūnis, Leonardus, Landulfus, Lanfrancus, Lambertus, Humfrīdus...;
5. Leopoldus, Cliffordus, Cuthbertus...,
6. Uladimīrus, Ladislōus...

Hic igitur majorum mox aetate àurea semper servatus et insequentibus saeculis exceptus usuque comprobatus — ut plane his exemplis constat — prorsus retinendus est; neque latine *Emil*, *Konrat*, *Vicky*... scribendum est, sed «Aemilius, Conradus, Victoria».

II. Cognomina vero nostrae aetatis alii voluerunt in latinum convertere et quasi nominis sensum vel hominis virtutem praecipuam latine interpretari: quam sequentes rationem cognomina sua latina fecerunt Jacobus PONTANUS, S. J. (*J. Spanmuller*, natus *Bruck* = pons > PONTANUS), PALEARIUS (*della Paglia*); hisque temporibus A. AVENARIUS (*A. Haberl*), BONAMICUS ACTENSIS (*Goodwin B. Beach*), aliique.

Neque haec ratio improbanda videtur, nam si nomen proprium celari licet et alio nomine efferti — ut fit in iis quae pseudonyma vocantur —, eodem pacto cognomen quodam modo celare licebit ei qui latinis enuntiat verbis. — Quam si sequimur normam, non liquet quare qui *Rossi* dicuntur fieri nequeant «Rubei» (*Rubeus*), *Verdii* vero «Virides» (*Viridis*).

III. Alii vero cognomina declinatione latina inflectunt; idque optimum factu cum nulla in emollienda patria voce inest difficultas neque in cognomine dignoscendo confusio. Durum namque est in contextu orationis latinae voces proferre barbaras nulla data flexione latina.

(1) Cfr. de his nominibus C. EGGER, *Lexicon nominum virorum et mulierum*, Romae 1957.

Qua motus ratione Maese Pérez latine feci «Magistrum Perezium» (cfr PALAESTRA LATINA 26 (1956) 84 sqs.).

Ac multi quidem fuerunt superioribus aetatibus qui hanc secuti sunt scribendi latine cognomina rationem; nam si Opera Omnia clarissimi viri J. Ludovici Vivis (Valentiae 1783) manu versas oculisque perlustras in ea quam Majansius scripsit Vivis vita, quamplurima leges scriptorum cognomina latine reddit: in iis G. Naudaeus, S. Foxius Morcillus, J. Pontanus, G. Budaeus, H. Grotius, A. Busbequius, H. Languettus, Ch. Fonterus, (t. I, pag. 114), Carvajalus, (t. I, p. 115), M. Perezius Ayala (t. I, 116), R. Simoni (t. I, p. 119); similia cognomina declinata invenies in *Lexitio latinae linguae antibarbaro* a J. Friderico Noltenio exarato (Venetiis 1743), nam in iis qui laudantur scriptores leges Ch. Beermannus, H. Boeclerus, O. Borrichius, A. Buchnerus, Ch. Cellarius, cet.; omnesque fere scriptores qui a Patre Springhetti⁽²⁾ commemorantur quorumque afferuntur selecti loci hac ratione cognomina sua fecerunt latina; ctr. sub indice Abadius, Accoltus, Aldinius, Burmannus, Canus, Ferrarius, cet.... Conferas etiam quae exstant cognomina in optimo libro J. P. Pighi qui *Latinitas inscribitur* (Mediolani 1955); in quo sunt J. B. Gandinus, M. Maclavellus, Cartesius, Schillerus, Petrarca, Boccaccius, Dantes Alagherius, Tommaseus, B. Benius, H. Fuscolus, cet. Innumerebilia quoque leges virorum cognomina in eo libro quo Clementis Janicij *Carmina* (Cracoviae 1930) continentur: Janicius (Janickiego), Zalevius (Zalewski), Orichovius (Orzechowski), Korytkovius (Korytkowski), Starovolscius (Starowolski)... quamplurimi alii; eadem ratione latine conformantur cognomina quae saepissime incident in *Carminibus Tricesii* (Trzecieskiego) (Wroclaw 1958). Solicovius (Solikowskiego), Zelenius (Zelenskiego), Samotulinus (Szmotul)...

IV. Postremum alii neque pauci illam esse aptiorem rationem efferendi cognomina nostrae aetatis contendunt qua nulla donentur flexioxe et terminacione latina, sed scribuntur et enuntiantur ut in patria lingua; quam tu sententiam defendis eamque probabilibus argumentis P. Springhetti evincere nititur⁽³⁾.

(2) *Selecta latinitatis scripta auctorum recentium*, Romae 1951.

(3) *Institutiones stili latini*, Romae 1954 p. 109-113. —Quae hoc loco a P. Springhetti explicantur sapienti quidem judicio perpenduntur, aliorum sententias referuntur ac saepe improbantur. A quo tamen gravissimo auctore, his quae supra dixi, non nunquam recedere visus sum. Sunt tamen —equidem fateor — quae longiorem postularent sermonem in exsolvendis difficultatibus quibus singulares casus interdum implicantur; quos brevitatis causa non rettuli.

PER ORBEM

Constitutio Apostolica de Latinitatis Studio provehendo quae «*Veterum Sapientia*» inscribitur, a Sanctissimo Domino nostro Joanne XXIII nuper edita, maximo fuit gaudio maximaeque laetitiae iis omnibus qui in studium linguae latinae summa contentione incumbentes, ut nebilissima haec lingua atque praestantissima vigeat et in florem suum validioremque vigorem restituatur, conamur.

Quae Constitutio Apostolica gravissimum est de cultu, usu et latinae linguae studio documentum, cuius normas et praecepta exsequi tenentur «*Sacrorum Antistites et Ordinum Religiosorum Summi Magistri*», ita ut juvenes qui «*ad sacra capessenda munia divinitus vocati*» parantur, latinam linguam optime calleant, secus iter ad Sacrum Sacerdotium pergere prohibeantur. Verba audite: «*Nemini faciendus est aditus ad philosophicas vel theologicas disciplinas tractandas, nisi plane perfecteque hac lingua eruditus sit ejusque usu prueditus*» (*Constitutio Apostolica*, sub 3).

Summatim, Constitutione hac a Joanne XXIII prodita, corroborantur atque firmantur eadem fere quae superiores Summi Pontifices (praesertim vero Leo XIII, Pius X, Benedictus XV, Pius XI, Pius XII) de re scripserunt atque gravissime statuerunt.

Pius XII —ut superioris Summi Pontificis verbis utar— sic quaerebatur: «*Proh dolor, latina lingua, gloria sacerdotum, nunc languidiores usque et pauciores habet cultores*». Utinam aetas illa tandem advenerit felicissima qua lingua latina esse poterit

- «*Clef de la science sacrée*» (LEO XIII),
- «*venustum unitatis signum*» (PIUS XII),
- «*Sacerdotis insigniter propria*» (PIUS XII),
- «*quaedam praenuntia aurora... evangelicae veritatis*» (JOANNES XXIII),
- «*quaedam quasi janua qua aditus omnibus patet ad ipsas christianas veritates antiquitus acceptas et ecclesiasticae doctrinae monumenta interpretanda*» (JOANNES XXIII).

Faxit Deus ut omnes, quibus destinatur Constitutio, studiose, seduloque Sanctae Sedis voluntati et praeceptis obsequantur!

Schola tachygraphiae «**Conciliaris**» a doctissimo atque litteratissimo viro Aloisio Kennerknecht moderata, ex 42 alumnis ad varias terrarum orbis pertinentibus conflata, — instar notariorum qui Concilio Oecumenico Vaticano I affuerunt —, nuper Romae creata est. Qui alumni —studia Theologica in Urbe eminentientes— lingua latina plane periti ejusque usu magnopere

praediti esse debent, ut colloquia, orationes, acrōses ceteraque latine a Conciliis Patribus prolata describant.

Unusquisque actuarius flexus seu vocis sonos suae regionis proprios cognoscens, Patres suae regionis libenti animo audiet atque distincte singula vocabula facile percipere ac transcribere poterit, quin nulla verba notariorum aures fugiant nec litterae —ut in Concilio Vaticano I evenisse traditur—, locutionis causa, mutentur (e. g. *ferus pro verus*), neque a tachygraphis perperam transcribantur.

Hi delecti scholastici cotidie a cl. v. Aloisio Kennerknecht latinae tachygraphiae scholas audient.

Quae res, vere laudanda, suum habet momentum quamquam maximum non videtur. Sed id unum in his adjunctis necessarium: latine loqui, latina lingua adhibere «*venustum unitatis vinculum*», quippe quae mutuae inter Patres cogitatorum communicationis sit instrumentum; secus universum illud Concilium Babel seu absona linguarum permixtio fiet.

Decimus Conventus Philologiae et Linguisticae Romanae studiis provehendis Stralsburgii in Gallia a die 23 ad 28 superioris mensis Aprilis coactus est. Cum de re *Palaestrae Latinae* legentes in sequenti fasciculo certiores nos facturos esse promittimus, nunc pauca de viris qui adierunt et de quaestionibus ibi tractatis. Congressui —qui Consociatione Linguistica Romana duce auspicatus est — nobilissimi viri Carolus Bruneau et Vaitherus von Wartbourg praepositi sunt.

Hispaniae legati adfuerunt cl. viri Ratmundus Menéndez Pidal, Antonius Gríera, M. Ratmundus Aramón i Serra, Institut Studiorum Catalaunicorum praeses.

Quaestiones actae sunt de rebus quae ad philologiam Romanam attinet, id est de morphologia, syntaxi, historia, linguarum geographia, de vocum doctrina, de critica, metrica varisque aliis quaestionibus quae a viris in re sua peritissimis tractata sunt et enucleata.

«Amor morte luitur». — Nemo ex latinarum litterarum cultoribus est qui jucundissimam Philemonis et Baucidis fabellam apud Ovidium non legerit; fabellam illam dico cum dii Juppiter et Mercurius in tellus descendentes,

«mille domos adiere locum requiemque petentes
mille domos clausere sera. Tamen una recepit
parva quidem stipulis et canna tecta palustri,
sed pia: Baucis anus parilique aetate Philemon...»

(*Metamorphosis*, 8, 628 631)

Quo digni fuerunt qui eorum casa deorum aedes sacra redderetur, atque alter quercus, alia tilia factus, perpetuam —ramis inter se complectentibus— viverent vitam.

Hanc ergo Ovidii suavissimam sequentes fabellam, viri veterum rerum studiosi pelliculam permoventem, vividam, cui titulus «*Amor morte luitur*,

animo conceperunt quae magnopere ad amorem proximorum fovendum vallebit.

Res ex integro declarat latinas litteras fontem hodierni cultus perennem esse thesaurum.

Salmanticae apud Sancti Stanislai Noviciatum a Patribus Societatis Jesu moderatum, exposita nuper est locupletissima omnium in universa Hispania classicorum librorum privata bibliotheca —quae 4.000 fere voluminibus ex Europa et America missis constat; sique libri missi sunt ad Reverendum P. Henricum Basabe, S. J. latinarum graecarumque artium egregium cultorem.

Qui quidem conditor est Commentariorum quibus index «Perficit», hosque unum et vigesimum annum moderatur; qui de humantibus litteris bene meritus, triginta quinque annos in adolescentibus instituendis egit ac per quinquaginta annos votis religiosis Deo traditus et consecratus, nunc maturus senex, cui «candidior... tondenti barba cadit» ita juvenili vigore, ita robore et studio — fervida

diceret florenti juventa — praeditus videtur, ut sedulo in opera sive socialia sive ad litterarum humanarum studia pertinentia, totus incumbat.

Meminisse me juvat — dum Salmanticæ Demostheni studebamus — simplicem illum humilemque religiosum quem, verbis quasi demensis, jucunditate vero et suavitate bono que animo semper plenis, totiens in schola audiebamus. Liceat ergo mihi carmina illa quae bonus quidam poëta ore rotundo alii quando cecinit, suavissimo Patri Henrico Basabe dicare:

•haud parvum est multos durare per annos
perpetuoque artes excoluisse probas;
haud parvum est flamمام semper fovisse
[paternam
et proli veterem suppeditare facem...•

Euripidis fabula quae «ΙΠΠΟΛΥΤΟΣ» inscribitur Rhodi editur. — Quamvis serius ad nos pervenerit nuntium, perlibenter tamen legentes de re certiores facimus.

Die vicesimo quarto mensis Septembris anni superioris cum Rhodi — in insula ex historia, arte, cultuque graeco praesertim nobili — Concilium Orthodoxarum Ecclesiarum Universum celebraretur, a tragedorum graecorum coetu, cui cl. v. Costi Livadheas praeest, Euripidis fabula «Ιππόλυτος», in antiquo Rhodiensi theatro in scaenam producta est. Quae fabula, classicae antiquitatis graecae vere thesaurus, ad animum spectatorum et oblectandum et movendum, praesertim cum Hippolytus moriens a patre Theseo absolvitur et ignoscitur, magnopere juvat.

ΤΑΥΡΟΜΑΧΙΕΣ στὴν Ἑλλάδα. — His verbis graeco hodierno exaratis certamina nuntiantur seu taurorum agitationes («φιέστα») quae Athenis occasione regiarum nuptiarum celebrandarum data seminae principis Sophiae (πριγκιπίσσης Σοφίας) cum principe viro Joanne Carolo (μὲ τὸν Δὸν Χουάν): Haec curiosa, lectores, ab «Actis Diurnis» graece editis desumpta legite et subride. Te: Taurorum certamina «Κ. Χοσσέ Μπελμόντε (Josephus Belmonte) ισπανὸς ὄρχανωτής (dux) ταυρομαχῶν» moderabitur; taurorum agitationibus adhibentur «τὸ στάδιο, τὰ γηπέδα (palaestra) τῆς Α. Ε. Κ. καὶ τοῦ Ηλαθηναῖκοῦ» (duo Graeciae primi lusorum manipuli); taurarii tandem aliique in cursibus mi-

nistri seu adjutores «πρωταγωνίσται τῆς ἀρένας», «διάσημοι (praeclarī) ταυρομάχοι ὅπως (ut) Ἀντώνιο Ὁρυτόνεθ, ὁ Χούλιο Ἀπαρίσιο, ὁ Χουανίτο Μπιέν Βενίδα, ὁ Μεγτένιο καὶ ἄλλοι τορεαυτὸρ μπαντιέροι; (spiculator) καὶ πικαντόρες...» (hastiferi)... Alia multa sunt atque lepidissime narrata —ad regias nuptias celebrandas—, ex quibus omnibus futurum erit ut fiat et verior cum Graecis firmetur amicitia «...συμφωνία μεταξὺ Ἑλλήνων καὶ Ἰσπανῶν...»).

Societas Hispanica Studiorum Classorum omnes alumnos —qui Cursum peragunt qui Praeuniversitarium dicitur— convocat ut certamen pro classico cultu et historia strenue inter se committant.

Haec sunt duo proposita themata: «Pericles» et «La victoria de Roma sobre Cartago y su

justificación en la concepción histórica de Tito Livio». Qui victores evaserint, insigni diplomate atque duorum milium pesetarum prae-mio donabuntur alumni. Praeterea impendit solutis, iter facere Matritum et in urbe manere, prout Societas existimaverit, poterunt.

Per televisionem lingua latina in Italia traditur. — Maximo commoti gaudio, nuntium legentibus significamus. Linguam latinam quae in Italia maxime his temporibus oppugnatur, minimique ab adulescentibus —de quibus in superiore Palaestrae Latinae fasciculo sermonem fecimus— habetur, nunc per undas televisorias emissae, a magistris scholae dantur. Quare instrumentum hoc, quo nullum est ad musicam, comoedias, certamina pedilusorum cet. spectanda vel audienda aptius, ut quis non incallide scripsit «bonarum artium sacrarium et quasi Musarum templum», redditum est. Haec est quam sequuntur magistri in lectione docenda ratio ac facilis via: Primum alumnos stantes latine salutat magister, deinde pracepta grammatica breviter verbisque simplicibus puerorum captui aptis proponit; quae sequuntur historia seu narratiacula latine exposita quibus pracepta firmentur. Magister denique summatim discipulis interrogatiunculas de expositis habet.

Quam viam atque incepturn —per undas televisificas expositum— ex animo vere dilaudamus.

Novos commentarios Patavii in lucem editos, quibus «Musa perennis» index, libenter fraterneque consulutamus. Salutemque quoque dicimus plurimam cl. viro Raphaeli Paone —eorum moderatori— qui, Musarum amicus afflatuque quodam superno percussus, librum «Fiori della lirica italiana» latine redditum foras vulgavit.

Primum fasciculum, quem in promptu habeo, immotis legi oculis et pervolvi, multaque Quiritibus digna —quae mihi quoque maximo fuerunt oblectamento— inveni. Agitur enim de poëtis «validi nell'opera di elevazione morale ed estetica», quorum nonnulli,

apud hujus aetatis poëtas illustrissimos, illustrissimi ducuntur.

Commentariorum moderatores propositum fuit novorum latinorum, qui hodie vident, poëtarum sive Italorum sunt sive alienigenorum, colligere carmina atque in lucem edere. Quae poëmata latina in altam linguam conversiones comitantur.

Paginam 12, ut exemplo utar, consulte, lectores humanissimi ubi idem jucundissimum melicum poëma «Alma minha» a Ludovico de Camoens conditum, latine Josephus Morabitto, graece Franciscus Rebelo Gonçalves et italice Raphaël Paone reddiderunt.

Utinam «pulchra corolla» floreat et «gemmati calices» semper semperque emicent, splen-

deantque ut omnes aimo poeticae adire trahamur.

Certamen Vaticanum nuntiatur. — Linguae latinae studendibus sex tum proponitur certamen Vaticanum. Quod certamen in duos ordines dis pertitur, sive virorum latinis litteris eruditorum, sive scholasticorum qui per latinitatis iter procedunt.

Primi aemuli prosa oratione vel numeris astricta, alteri soluta tantum oratione certare poterunt. Quod ad certaminis leges, praemia et tempus com mentationibus mittendis aptum attinet, in Commentariis qui inscribuntur «Latinitas» (mense Aprili hujus anni editis) legere potestis

JESUS ARAMENDIA, C. M. F.

M. Anneo Lucano. Bellum Civile. Brani scelti e collegati. Con introduzione e commento di EMANUELE GRISSET. Pag. 88, 24 x 16'5. 1961, Torino, via S. Pio V, 16.

Perutilis hic libellus ad Corpus pertinet Commentarii «Di Studi Classici», editum rectumque a clarissimo Professore Victorio d'Agostino. Fragmenta selecta atque digesta e BELLO CIVILI a m. Anneo Lucano exarato, hic latinitatis studio adhibentur In ampla et erudita praefatione, de nota biographica, de opere, de historia, de philosophia, de poesi, a claro viro E. Griset rite praelibantur non nulla necessaria vel utilia, quibus facilius liber intellegatur.

Notulae ad imam paginam et frequentes et ingeniose dispositae. Grammatica, historia, poetica, chronologia affabre innectuntur. Et picturae selectae librum admodum decorant, tota arte typographica exornatum. Utinam «Testi Classici Commentati» secundo omnime prosequantur, quibus et latinis litteris in dies jucundius ac sapientius inserviatur.

BEACH, GOODWIN B. et BATTLES FORD Lewis — *Locutionum cotidianarum Glossarium: a guide to Latin conversation*. Hartford Seminary Press, Hartford, Connecticut 1941 p. 89, L-VII, 22 x 14

Hac ratione prima in plagula, libellum omnes innotescit: «Confлавit Bonaventus Actensis» e Collegio SS Trinitatis, adjuvante Fordo Le dovico Pugnace, e Fundamento Seminarium Hartfordianum. In quo «glossario» inventes hinc vocem vel locutionem anglicam, hinc conversionem latinam

Duas in partes opusculum dividitur: Primaria sermonis elementa II. Vocabularia vocabularia. Prima vero in parte septem sunt nomenclature (Lits A-G); in altera tredecim (Lits H-T). Accurate divisiones totam rem facilitorem reddunt, quae discipulorum mente vel jucundius teneatur. Brevisima explanatione praedit, commodus index libellum subsequitur. Ex ipsa verborum selectione et apta typographica dispositione libellus magno opere latinitatis studio commendatur

PHILOPONUS, C. M. F.

B I B L I O G R A P H I A

JONKERS, E. J. — *Social and Economic Commentary on Cicero's De Imperio Cn. Pompei*, by E. J. J., Dr. Juris, Dr. Philosophiae et Litterarum. Leiden, E. J. Brill, 1959, 16 x 24, pp. 10 + 53.

Liber M. Rostovtzeff memoriae dicatur, qui hujus aetatis vir Historiae Antiquae doctissimus ab auctore habetur. Quaedam illius excerpta sententia ostendit cur nonnulla Ciceronis opera, ad antiquam oeconomiam cognoscendam, commentario exornari oporteat; sunt enim in eis expressius depictae descriptiones quae ad rem attinent. In paucissimis lineis quae pro praefatione prostant, auctor spes alit fore ut ex his commentariis non solum oeconomia ei tunc temporis vita, verum etiam ipsius maximi oratoris indoles altius intellegi possint; sperat ipse hunc fasciculum altos aimiles secuturos esse, quorum in extremo judicium de oeconomia et sociali re pro temporibus Ciceronis struetur. Praebetur lectissima librorum copia. Jam vero ratio investigandi haec est: Interponuntur primum verba orationis Tulliana ex ordine electa, quae sententias antiquorum et hodiernorum scriptorum apprime perpenduntur, ex quibus apparet, —quod in memoratis M. Rostovtzeff verbis inest—, ea quae de oeconomia Ciceronis tradit quamvis vivida, non tamen judiciis carent. In conclusione conspectus universae rei Ciceronisque conscientia breviter acuteque contrahuntur. Commentaria quidem ditissima sunt et affabre typis excusa.

E. TEJERINA, C. M. F.

HAMMOND, N. G. L., M. A., D. S. O. — *A History of Greece to 322 B. C.*, Oxford. At the Clarendon Press (Oxford University Press), 1959.

Statim ut volvitur, liber eximius apparet —quod vel ex ipsa editionis cura demonstratur—, diligentius vero consideranti multo

magis doctrina ac pondere commendatur. Stimulacrum deae minotae anguis circumfusa in fronte prostat; subsequitur praefatio brevis (p. VII) indexque totius operis (pp. IX-XVII) in quo materiae singillatim, magis quam in textu, praenuntiantur. Paginis XIX-XXI continentur tabulae 52 figurarum, in quibus terrae, proelia, res palaeographicae describuntur. Sequitur index chartarum politissimarum quae, sine numeris pro loci opportunitate insertae, lectissimas photographias 16 imaginum et 48 monetarum ostendunt; sequuntur sigla et selecta opera (pp. XXIII-IV), et jam medulla hujus magnifici operis locum tenet (pp. 1-651). Praemittitur in introductione *Geographia* (pp. 1-18), Historiaeque moles in sex libros aptissime dividitur: primum vero librum *The Early Civilizations of Greece and the Great Migrations* (c. 3000-850) (pp. 19-91), secundum autem *The Renaissance of Greece* (850-546) (pp. 92-175) disputatio de cognitionis fontibus praecedit. Ceterum in singulis libris saepissime classici scriptores commemorantur. Temporis spatio, quod est inter an. 546-322, quattuor libri et 176-651 paginæ tribuuntur; res igitur et eventus singillatim pertractantur. Praeterea litterae, religio, artes, philosophia, suum in quoque libro locum habent. Octo deinde appendicibus aliae auctoris investigationes de chronologia praesertim et militia breviter absolvuntur (pp. 652-665). Cluditur opus indice nominum (44 sunt columnæ).

Praebetur nobis hoc splendido volumine disputatio Historiae graecae nostrae aetati accommodata, omnibus disciplinarum auxiliis elaborata, eoque de rebus antiquis iudicio, quod homini hodierno est consentaneum. Multum ad operis perfectionem conferunt et praecisa stili venustas et sermonis elegantia. Opus vero —cum multi commemorentur scriptorum loci— cuilibet studioso, magistris omnibus, exstat inaestimabile adjumentum non

solum ad graecam culturam, sed ad auctores investigandos et explicandos. Qui studia humaniora excolunt de hoc optimo libro Auctori doctissimo grates referent.

E. TEJERINA, C. M. F.

SCHULTZE B. — *Teología Latina y Teología Oriental*, vol. 10. Barcelona, Editorial Herder, 1961, pag. 80 Traducción de JOAQUÍN BLÁZQUEZ, Pbro.

In hoc opusculo a Bernardo Schultze S. J. conscripto, in Instituto Orientalis Romae creato, doctissimo magistro, Theologia Latina cum Slava conferitur ut perspiciat quibus Theologiae hae convenient quibusque dissentiant.

Constat sane permultos esse locos ubi harum Ecclesiarum doctrinae consentiant quippe quae similia habeant fundamenta. Ecclesia enim cum Orientalis tum Occidentalis ad eundem fontem et stirpem eandemque ad doctrinam pertinent. Plurimae tamen sunt quaestiones quibus Theologia Ecclesiae Romanae et Orientalis differant et disjungantur; quarum principatores sunt de Mariología, de Christo, de Ecclesiología, de theologis saecularibus...

Ad hoc disceptatio agitatur gravissima utrum dari possit theologiae progressio cum infallibili magisterio Orientales Ecclesiae careant.

Quae quaestiones aliaeque hujus aetatis multae — ante Concilium Oecumenicum Vaticanicum II ab auctore et scriptae et propositae—dignae sunt quae maximi habeantur.

Conversio ex itala in hispanam linguam facta, facilis videtur et fluida.

Libellus optima absolvitur Bibliographia.

JESUS ARAMENDIA, C. M. F.

PARENTE, PRIETO. — *La Psicología de Cristo*. Vol. 2. Barcelona, Editorial Herder, 1961, pag. 66. Traducción de JOAQUÍN BLÁZQUEZ, Pbro.

Ratio nova et via «psychologica» appellata, quae hac nostra aetate in Theologia et enucleanda et elaboranda adhibetur, non est «a priori» oppugnanda, modo legibus atque

normis certis regatur; secus manifestum est hanc doctrinam omnino rejiciendam esse.

Cl. scriptor Petrus Parente — Perusiae in Italia Archiepiscopus, et in Pontificio Athenaeo Lateranensi Theologiae illustrissimus Professor —, paucis sed subtiliter et expedite scriptores proponit (Basly, Galtier, Seiller, Jugle, Tixeront) qui majore vel minore exitu de Christi Personae constitutione, via tantum psychologica non vero ontologica, acriter disputatione.

Sciendum est vero, etsi classica theologia in principiis metaphysicis naturae, existentiae et individuationis nixa, personae constitutionem definit, tamen vera ratio et disciplina «psychologica» — per personae conceptum — in Christi Personam «quasi per posticum» diceres, certum habere aditum...

Quae omnia apud clarissimum v. Petrum Parente, accurata doctrina tractata, inveniet lector. Bibliographia qua opusculum clauditur, hodierna videtur.

JESUS ARAMENDIA, C. M. F.

SHEED, F. J. — *Teología y Sensatez*. Versión del inglés por GINÉS ARIMÓN y ARSENIO PACHECO, pag. 424, 14 x 22'2. Editorial Herder, Barcelona, 1961.

Amplos quasi conspectus detegit lectori que nitidas notiones exponit auctor hujus modi libri persicenter exarat. Liber, inquam, magnae prudentiae consilique qui vitam «cordate» agere docet. Omnis homo, ut rerum vividae vivat rationem, cognoscat operet Deum ejusdemque revelationem mente assequatur. Ex quo quislibet homo, plus minus, «theologus».

Prooemia hujus libri sunt velut «methodologia» ejusdem theologiae quam «cordatum» dicemus, quae quidem tribus amplis, densisque partibus exponitur, eaque, sunt I. Deus, Unus et Trinus. II. Creaturae: mundus, angelii, homo lapsus et regeneratus a Jesu Christo. III. Homo, qui vivit vitam gratiae virtutesque in Ecclesiae sínū.

Omnibus igitur catholicis, quibus cor sapit, hunc magno opere librum commendamus legendum. Auctor lectores incitat, qui animo res altas cogitent, qui attentius vitam veram

animorum perpendant. Idque reapse nanciscatur; magna enim et stili facilitate ingenique acumine id efficit, quod opus libentissime totum perlegatur.

Denique hic liber «Teología y Sensatez» est, procul dubio, catholico adulto appositus qui ad animi formationem contendat.

PAONE RAFFAELLO. — *Fiori della lirica italiana con la versione metrica latina, prima silloge.* Edizioni «Musa Perennis», Padova, 1961, pag. 64, 24'5 x 16.

Haud facile quidem, lirica arte conversiones omnibus numeris absolutas perficere. Potissimum lyricam artem italicam in sermonem latinum usurpandum eumque poetico tenore, in animo praeclarissimi viri R. Paone insitam esse confitendum est. Huic autem rei perbelle operam, inter alios, navarunt Alfridus Bartoli, Hugo Henricus Paoli, Josephus Morabitio. Horum autem vestigia vatum, hoc in libello, et poeta R. Paone feliciter insectatur.

Non nullos poetarum Alighieri, Mazza, Monti, Foscolo, Leopardi, Zanella, Bonacci, Aganoor, Carducci locos in hoc opusculo in puram ornatamque latinitatem conversos delibabit curiosus lector. Et quaedam etiam auctorum recentiorum carmina, secunda in libelli parte, latino versu expromuntur itaque evulgantur.

Accinctus jam est clarus auctor ad inseruentem syllogem altarum conversionum poetarum Pascoli, Guerrini, Gozzano, Ellero, Marin, d'Annunzio, cet. Quod bene vertat, latiniisque litteris ornamento sit atque splendor!

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

J. F. NIERMEYER. — *Mediae Latinitatis Lexicon Minus.* Fasciculus 7. Leiden, E. J. Brill, 1959, pag. 577 672.

Septimus hic fasciculus — a voce *laboratio ad merces usque* — nobilis illius operis «Mediae Latinitatis Lexici minoris». Praeclarus Professor In Universitate Amstelodamensi, in dies hoc «latinitatis mediae» monumentum perpolendum et absolvendum curat: quod

eidem quidem humanitatis lectores animo grato maxime rependent.

In littera *L* exaranda (et non nihil in littera *M*), usus est clarus vir J. F. Niermeyer illo nuper evulgato opere quod *novum glossarium mediae latinitatis inscribitur*, duce «Unione Academica Internationali». Non desunt tamen difficultates solvendae, quibus remotis lucidior lux orletur.

Altud quoque opus in exarando libro praesto fuit: *Dictionnaire Latin-Français des Auteurs Chrétiens*, Strasbourg, 1955, ab egregio latinitatis cultore, M. A. BLAISE, editum. Quod vero attinet ad latinitatem hispanicam, opus in melius redditur illo haud parvi pretii adminículo: *El lenguaje técnico del feudalismo en el siglo XI en Cataluña*, Barcinone 1957, ab insigni Magistra E. Rodón Binué evulgato.

A. MARQUÉS, C. M. F.

JUVENTAL - Sátires. Fundació Bernat Metge, text i traducció. Barcelona, Editorial Alpha, 1961.

Alterum hoc volumen *Satírarum D. Junii Juvenalis*, una cum primo et nuper edito, sedulo paratum est a Rdo. Emmanuele Balasch, linguarum classicarum Doctore praeclarissimo. Una eademque via ac ratione atque in primo auctor procedit.

Texius *Satírarum*, a VII ad XVI usque, una cum catalaunica versione libri corpus constituunt. Sigla adhibita praecedunt ac rarissimae discrepaniae ab editione Labriolle-Villeneuve praemittuntur. Completus atque ad nostram memoriam apparatus criticus.

Volumen autem hoc recensitum est a nobili latinitatis Professore Josepho Vergés. Conversio catalaunica commode legitur, quamquam haud raris textus difficultatibus scatet. In ima pagina notularum copia, earumque selectarum, rem faciliorem legenti reddunt.

J. MONTJUVIN. — *Rome et les débuts du moyen age (1000 av. J. C.).* Editions de l'Ecole, Paris.

De chartula synoptica totius fere Historiae Romanae agitur, oculis potius quam litteris in alumnorum mentes infigendae. Ratio pror-

sus nova in disciplinis historicis in schola tradendis. Colore etenim ibi quasi Historiae uno prospectu omnia clarissime illustruntur.

Rei enarrationes singulatim per analysis factae, suum momentum, nisi via synthetica, non obtinent. • Nous avons — inquit cl. auctor — tenté dans le Panorama d'histoire romaine d'appliquer à l'étude de l'histoire ces données essentielles de la pédagogie.

Brevissime ab auctore opusculum exhibetur, deque apto usu lector monetur. Hic vero «Panorama d'Histoire», sis quasi tractibus distinguitur: Etrusci, Assyrii, Babylonii, Persae; Athenae, Sparta, Roma; Monarchiae hellenicae, Magnae Invasiones, Imperia Barbara, Imperium Carolingium, Primae civitates Feudales. — Hoc commodo adminiculo ante oculos, et Historiae Romanae studium commodius alumno certo certius reddetur.

C. ARRIUS NURUS — *Pegasus Tolutarius*. Edidit et scholiis doctis ornavit Harry C. Schnur, Neo-Eboracensis. Aldenardae, in aedibus Sanderianis, pag. 80, 20 x 13. Anno MCMLXII. Classics Department, Iona College, New Rochelle, N. Y. (U. S. A.).

Quod hujus libri materia legentium animi moti sint illis praefationis verbis comprobatur: «Ex eo quem a. MCMLVII edidi libello, cui titulus «Nugulae», nonnulla in hoc opusculum transtuli; alia ex eo tempore in commentariis Americanis, Batavis, Germanicis et alibi passim publici juris facta hic primum concessi».

Variae artis argumenta latinis versibus rite exornata mentem lectoris animumque relaxabunt. Index libri «Pegasus Tolutarius», tanquam ludi gaudique indicium exstat. Eae autem opusculi pericopae: «Conversa, Gerra, Scholastica, Satirae, Bilbilitana, Hodoepoca». Forsitan hic, cum Plinio, de «eporeditis, homo nugaretur.

Extremum libri carmen «Iter ad Septentriones» (pp. 65-79) in primis commendatur. Haud immerito anno MCMLXI magna laude ornatum est in Certamine Poëtico Hoeufftiano Amstelodami apud Batavos habitu. Et clari scriptoris optato adhaeremus: «Nostro ergo exemplo inducti si plures Camenis se dede-

rent Americani linguae latinae amatores, non communi moveremur gaudio».

Sòfocles - *Tragèdies*, III Fundació Bernat Metge, text i traducció. Barcelona, Editorial Alpha, 1961.

Quadragesimum et centesimum hoc volumen in nobilitate illo corpore Catalaunico Clasicorum graecorum et latinorum. Inter opera postuma praeclarissimi magistri litterarum graecarum, Caroli Riba, versio exstat in catalaunicam linguam tragoediarum sophoclearum, quibus index Electra et Philoctetes. Quarum et textus et conversio in hoc volume eduntur.

Opus omnino nondum perfecerat, ante obitum, Magister. Ex quo ejus egregius discipulus Johannes Petit toto studio sollertiaque praefationis notulas exaravit, una cum anno tationibus quae ad Electram spectant. Quod vero ad tragoediā Philoctete attinet, Rdus. Emmanuel Balasch, qui et Magistri scholas adierat, annotationes accommodavit.

Hoc opere labor absolvitur maximus notusque cultoribus litterarum graecarum, Professoris C. Riba, et quasi significatio est instantis voluminis hujus corporis, quod integrā translationē Sophoclis cum editione Oedipi Coloneti cumulabit. Et vere horum virorum in litteris graecis maxime perfitorum opera et conspiratio, hac editione, tamquam perennitatis pignus est magisterii certi Caroli Riba per prolixioris temporis spatium triginta annorum. Magisterium certum, in primis duce Instituto Bernat Metge novo ortu Humanismi in catalaunica regione.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

CAMBIER, GUY. — *Horace-Odes choisies et accompagnées de scolies*. Pag. 102, 16 x 12'5. Maison d'Éditions Ad. Wesmael-Charlier, S. A. Namur, 69, Rue de Fer., 1961.

De parva carminum editione agitur et Carminis Saecularis Horatii.

Odarum haec selectio vere apta summo que studio elaborata. Versuum mensura vel dispositio ante oculos quasi obicitur. Notulae, cum multae tum eruditio plena. Picturae selectae quae animum allicit. Geographicae variae chartae ad rem spectantes. Paucis,

libellus, qui discipulis litterarum latinarum commendetur, vere dignus. Ex sententia clarissimi Professoris Felicis Peeters, praefationis auctoris, editio haec «est appelée à faire date dans l'histoire des ouvrages d'enseignement consacrés à l'antiquité latine». Cujus scilicet sententiae et facilitate is assentietur, qui ad manum librum habeat.

Cicerone - *Le Tusculane, Libro II*, a cura di AUGUSTA IZZO D'ACCINNI. Pag. 136, 20x13. Società Editrice Dante Alighieri, Milano, 1960

In dies bibliotheca illa «Traditio» apud Italos librorum numero magnopere succrescit; cui prae sunt moderandae clarissimi Professores R. Cantarella et B. Riposati.

Hoc autem paravit volumen latinitatis magistra A. Izzo d'Accinno, multo cumulanda honore. Jam vero, inter philosophica Ciceronis scripta, liber II rerum Tusculanorum magni momenti lectionem, ex argumenti praestantia stilique eloquentia, praebet.

Ea autem ratione divisiones libri ciceronianis distinguunt possunt: Introductio (capp. I-III) Locii philosophici de doloris quaestione (capp. IV-VI). Adversus Epicureos (capp. VII-XI). De doloris definitone (capp. XII-XIV). Doloris ex habitu victoria (capp. XV-XVII). Doloris ex ratione victoria (capp. XVIII-XXVI). Epilogus (cap. XXVII).

Praefatio, Introductio, textus, commentarium: en hujs modi sciti libelli cursus. Et ex clarissimorum moderatorum proposito, Bibliotheca «TRADITIO» si propone di dare alla Scuola Italiana una serie di commenti, che alla serietà scientifica congiungano una viva interpretazione delle grandi opere letterarie dell'antichità, mirando alle reali esigenze della nostra Scuola. Quod quidem vel apud nostrates, ni multum fallor, operae pretium erit.

Tito Livio. — *Ab Urbe condita*, libro XXII. Con introduzione e note di ANTONIO CAVASIN. Pag. 146, 21 x 13'5. Torino, Società Editrice Internazionale, Corso Regina Margherita, 176.

Nobilis illius corporis «Scrittori Latini commentati per le scuole» commodum volu-

men. Ad scholarum latinarum usum in primis haec dicatur elucubratio, a clero Professore A. Cavasin accurate exarata. Ut plurimum textus idem est, atque editionis Weiss-Mueller Lipstensis. In libri introductione (pp. 1-12) non nulla referuntur de Titi Livii vita, de opere, de historico Titi Livii momento, de tertia decade et libris XXI, XXII.

Tum periocha libri XXII (pp. 13-14) consequitur. Textus vero T. Livii ab urbe condita libri XXII, variis hisque utilissimis, grammatices, historiae, stilisticae, geographiae, notis distinguitur, quibus res et facillior et plenior alumnorum mentibus reddatur. Indice absolvitur opus praecipuorum nominum historicorum atque explicationum quae in notulis comprehenduntur.

A. MARQUÉS, C. M. F.

ROHLFS GERHARD. — *Vom Vulgaerlatein zum Altfranzösischen. Einführung in das Studium der altfranzösischen Sprache*. Pag. 254, 22'5 x 15. Max Niemeyer Verlag, Tuebingen, 1960.

Nobilitus hujus modi operis auctor inter cultores linguarum romanarum, quarum quidem et longe peritissimus magister est. Domus Editrix. M. Niemeyer aliquot adhuc evulgavit libros manuales de variis romanis linguis, tota vero cura atque arte technica honestatos, quibus edendis maximam impedit operam clarus Professor G. Rohlf.

Hoc in corpore decimum quintum volumen nuper sapientibus praelibandum datur, in primis autem «a cels qui aiment de France dulce l'ancien Lengage». Derivatio pristinae gallicae linguae a sermone latino vulgaris magno omnino auctoris ingenio ob oculos liquido adhibetur. Et per summa capita italicae Narbonensis (*provenzal*), antiquae gallicae linguae perstringuntur, in earum cum sermonis latini vulgaris conexione.

Maxime commendatur praecipuae, explicatio vocabulorum in disciplina linguistica ac philologica usitatorum. Rerum index verborumque amplissimus, cui et index addendus est nominum priorum, geographicorum, personarum. Haud sane dubium, quin sapientibus de re romanica scriptum hoc comprobetur, quod et superiores auctoris elucubrationes facile devincunt ac persuadent;

LENNARTZ FRANZ. — *Auslaendische Dichter und Schriftsteller unserer Zeit*. Dritte, erweiterte Auflage. Pag. VIII-760, 11'5 x 17'5. Alfred Kroener Verlag. Stuttgart, 1961. DM 17.50.

Numero 217 volumen hoc in nobili illo Corpore «Kroeners Taschenausgabs», quod singularis expositio est Humaniorum Litterarum in exteris linguis. Quasi primis linea- mentis litterarum historia hoc libro auctor describere intendit. Quod quidem a clarissimo scriptore F. Lennartz admodum obtinetur. Amplius 300 poëtarum scriptorumque series nostrae aetatis ante lectoris oculos offeruntur, qui eorum curriculum vitae et operum praeci- puorum certa scientia valeat assequi.

Dictionarium hodiernorum poëtarum et scriptorum, germanicis tamen omissis, opus hoc nuncupare potes. Quo duce, vita, opera litteraria, virtutes praestantissimorum in pre- lo, radiophonio, televisione auctorum, stu- diosi animo peropportune facileque instillan- tur. Maxime cultoribus disciplinae litterariae id temporis liber commendandus, in quo tamen desideratur, nostra quidem sententia, nominum index initio finive libri appositus.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

CIAFFI VINCENZO. — *Petronio in Apuleio*. Uni- versità di Torino, Facoltà di Lettere e Filosofia Fondazione Parini-Chirio. Pag. 312, 25 x 17'5. Torino.

Opus hoc, in praeclari scriptoris mente, aestheticae indolis indagatio et monumen- tum: «l'unità poetica, rispetto al resto, dei primi tre libri delle «Metamorfosi». Et pro- positum quidem rite ibi expressum atque elaboratum. Post nitidam de re praefationem, his quattuor densis capitibus tota libri mate- ries disponitur: I. *Aristomene*. (pp. 7-52). II. *Telifrone e gli altri* (pp. 53-108). III. *Petronio e gli altri libri delle «metamorfosi»* (pp. 109-138). IV. *Unità dei primi tre libri* (pp. 139-196).

Amplissimus locorum memoratorum in- dex elucubrationis usum admodum facilem lectori reddit, atque in indice generali res incisim ac ratione et via proferuntur. Ab schola nobilissimi viri Augusti Rostagni alumnus, hujus modi libri auctor argumentum

agili calamo ingenioque acri exaravit. Haud mirum igitur, si in Universitate Taurinensi laurea donandus apollinari deputatus sit.

Platón, *El Sofista*. — Edición del texto con apa- rato crítico, traducción, prólogo y notas por ANTONIO TOVAR, catedrático de la Universidad de Salamanca. Clásicos Polí- ticos, Instituto de Estudios Políticos, Ma- drid, pág. XXXV-204, 21 x 15, 1959.

Mentem ac doctrinam praestantissimorum scriptorum ostendere et in lucem edere, potis- simum sane propositum est nobilis illius Studiorum Politicorum Instituti apud Hispanos. Huic autem rei operam navat Institutum noto illo corpore «Clásicos Políticos».

Editiones «bilingues», i. e. in quibus ge- minae apponuntur linguae, Platonis, Aristote- lis, Ciceronis, cet. adhuc evulgatae sunt, cura egregiorum philosophorum et litterarum studiosorum. Volumen autem hoc, de mente politica Platonis, paratum a clarissimo Pro- fessore A. Tovar est, cui et plurimum orna- menti debent classicae litterae, cum latinae tum graecae.

In libri accurata eaque erudita introduc- tione (pp. V-XXV) agitur de genesi «Sophis- tae», de examine dialogi, de fine «Sophistae». Et non nulla de Philosopho praelibantur de- que aestimatione «Sophistae». Manu scripta ad definiendum textum proponuntur, una cum praecipuis nostrae aetatis operibus de «Sophista» agentibus.

Hispanica conversio accurata, graecus textus tota typographica arte dispositus, criticus apparatus optimus. Paucis, et philo- sophica scientia et litteraria ars per se ipsae hic commendantur.

Q. S. F. TERTULLIANO. — *Adversus Præxean*. Edizione critica con traduzione e note di GIUSEPPE SCARPAT. Pag CLIII - 316, 20 x 13. Loescher - Editore, Torino.

Ex plurimis Tertulliani apologetae operi- bus, hoc «Adversus Præxean» fere difficilius, cum notiones theologicae, tum philologi- cae quaestiones animo agitantur. Quocirca pauci adhuc studiosi de eo singillatim dis- ruere. In primis mentio facienda de clarissimo

viro Th. L. Verhoeven, in praestantissimo opere «Studien over Tertullianus adversus Praxeon». (Amsterdam, 1948).

Nunc autem res a paeclaro Professore J. Scarpas, in Bibliotheca Loeschiana, toto critico apparatu est renovata. In triplicem partem opus facile dividitur: Introductio (pp VII - CLIII). Q. Septimii Florentis Tertullianus Adversus Praxeon, textus, apparatus criticus, conversio (pp. 1 - 159). Commentarium (pp 161 - 287). His denique accedit res bibliographica indicesque (pp. 289 - 316).

Mens ac dicendi genus Tertulliani, haud semper intellectu facile, mirum in modum hoc studio patefiunt. Ex quo clari scriptoris labor et ingenium sapientibus, ni multum fallor, magni pendenda aestimandaque erunt. Quibus et illa praefationis verba probabuntur: «Introduzione e commento potranno sembrare troppo ampi rispetto al testo. Chi leggerà, si accorgerà che le difficoltà sono tali e di tutti i generi, da non consentire maggiore brevità».

PAOLI, UGO ENRICO, (*Anonymous Namurcensis*).

— *De senectute. Indorum sapientia*. Editio altera, pag. 114, 16'5 x 11'5. F. Le Monnier Florentiae edidit, A. D. MCMLXII.

Novum, idque leptidum, opuscolum a clarissimo scriptore latino H. H. Paoli nuperissime exaratum. Alia jam neverunt lectores ejusdem scriptoris opera: «Ciceronis filius, puerilis narratio ad domesticos Romanorum mores illustrandos», «Fabellae pueriles», «Maximi et Mauritii malefacta», «Petrus Erculus», «Varlus libellus», «Carmina», cetera, quae quidem corpus constituant vel maxime aptum ornatumque ad litteras latinas excitandas et alumnorum animis instillandas.

Lepide in praefatione disserit clarissimus poëta «unde mihi in mentem venerit ut ignorantiam hanc disputatunculam divulgarem»; «Anonymous Namurcensis», qui ipse est H. H. P., has humanissimas de Senectute pagellas conscripsit. Animus legendu sedatur. Literae vero latinae tali scripto aptissime honestantur.

Altera libelli pars est de «Indorum sapientia», brevioribus tanquam formulis exhibita.

Commode illi versus proverbialis sapientiae praeponuntur: «Unda decet lotum, simul et lotus decet undam. / Ornant dum pariter lotus et unda lacum». Jucundissimus sane libellus, ut ceteri nobilissimi auctoris, qui quidem omnes latinitati favendae fini sunt o adminculo erunt.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

J. VAN OOTEGHEM, S. J. — *Lucius Marcius Philippus et sa famille*. Académie Royale de Belgique, Classe des Lettres et des Sciences morales et politiques. Bruxelles, Palais des Académies, rue Ducale, 1, 1961.

Plurimae, eaeque gravitatis et ponderis plenae, adhuc elucubrationes in lucem editae sunt ab Academia Regali Bruxellenst, in Facultate Litterarum et Scientiarum moralium et politicarum. Atque novum hoc opus, a clarissimo Professore Van Ooteghem exaratum, corpus illud maxime honestat. Nobilis quidem apud Romanos olim causidicus, L. M. Philippus, hoc opere nobis innotescit. Pristinæ historiae, Immo et fabulae resque numismaticae, diligenti patientique ingenio perquiruntur, quibus suscepta res possit et ab omnibus studiosis detegi.

Praemissa praefatione, is libri cursus: *Les aieux légendaires* (pp. 1 - 29), *Les ancêtres réels* (pp. 40 - 100), *Lucius Marcius Philippus* (pp. 101 - 170), *Les descendants* (pp. 171 - 187). Absolvitur vero opus bibliographia, indice alphabetico, picturarum tabula tabulaque materialium (pp. 171 - 20). Monographiae hujus scriptor notior est quam ut opus sit mihi lectoribus PALAESTRAE LATINAЕ eum commendare.

PHILOPONUS, C. M. F.

CRAVERI MARCELLO. — *Syntaxis ornata*. Pag. VIII-504, 22 x 15'5. «La Nuova Italia». Editrice, Firenze, 1961.

Vera latina Syntaxis «ornata» est maximi momenti hoc opus, a clarissimo viro M. Craveri in lucem editum. Scientia enim et ars, in tradenda classicorum latinorum syntaxi, quasi pari gradu, quod Paedagogiae secretum est, progrediuntur. Liber magnae quidem sollertiae in re se ligenda, quo facilitiore modo in alumnorum mentes quasi instilletur.

Cursus operis et propositum perbelle in praefatione (pp. VII-VIII) explicatur. Primum «Syntaxeos ornatae» nitida exposito (pp. 1-170); deinde lexicon numeris ornatum (pp. 171-198); sequuntur themata in syntactica progressionе rite disposita (pp. 199-382). Deinde selecta fragmenta scriptorum latinorum atque italorum, ordine chronologico concinnata (pp. 383-489). Index vero generalis commodissimus (pp. 491-504).

Clari auctoris propositum princeps illis verbis expromitur: «Una rigorosa e assoluta progressionе dei temi, in ordini di difficolta». Quod a prima voluminis plagula quasi lectoris oculis obicitur. Felicem omnino exitum huic opere, latinarum litterarum decori, omninari licet. Quocirca et alumnis et magistris latinitatis maximo opere commendatum volumus. Domui vero Editrici «La Nuova Italia», maximae sunt tribuendae laudes, quae adeo arte typographica opus exornavit.

P. Vergili Maronis *Bucolica*, *Georgica*. Recensuerunt L. Castiglioni Remigius Sabbadini. In aedibus Jo. Bapt. Paraviae et Sociorum Aug. Taurinorum, pag. 160; 1960.

Novum volumen quo «Corpus Scriptorum Latinorum Paravianum» augetur. Textus criticus evulgatur perennium illorum Vergilianorum operum; *Bucolicon*, *Georgicon*. Septem vero praecipui codices A, G, V, P, R, F, M, quibus Vergili opera nobis tradita sunt, ad criticae artis trutinam a clarissimo latinitatis Professore R. Sabbadini in accuratissima praefatione revocantur.

Conspectus codicum et subsidiorum in *Bucolicis* et *Georgicis* adhibitorum, libro anteit. Atque P. Vergili Maronis *Bucolicon* liber (pp. 1-52) et *Georgicon* libri IV (pp. 53-154) operis corpus constituunt, quod completer index nominum in *Bucolicis* et indice nominum in *Georgicis*. In ima pagina criticus apparatus, quo et historia et interpretatio textus facilius possit percipi.

Quid de orthographia adhibenda sentiat auctor, ita explicat: «Qua in re sterumque iterumque monebo nihil esse orthographia incertius nihil instabilius nihil inconstantius,

cum nec singulae aetates unam scribendi formulam servent nec scriptores ipsi sibi ubique constent, nendum aetatis suae consuetudini semper obsequantur».

Q. Horatii Flacci opera, vol. III. *De Horati poëtico eloquio*. Indices nominum propriorum, metricarum rerum, prosodicarum grammaticarumque. Curavit Dominicus Bo. In aedibus Jo. Bapt. Paraviae et Sociorum Taurini, 1960.

Magno opere hec volumen optimarum artium studioso commendatur in intimam cognitionem Q. Horatii Flacci, latinorum vatis praestantissimi, obtinendam.

Ampla et erudita, a claro viro Dominico Bo exarata, anteit rei praefatio (pp. IX-XXXIII). Et praecclare in ea de Horatii eloquio est sermo hac ratione: epodon eloquium, satirarum eloquium, primorum trium librorum carminum eloquium, epistularum eloquium, quarti libri carminum eloquium, artis poeticae eloquium.

Compendiorum tum index (pp. XXV-XL). In corpore vero libri, primum adest accuratissimus index nominum (pp. 1-26). Tum index rerum metricarum et prosodicarum (pp. 27-88). Deinde index rerum grammaticarum (pp. 99-406). Indice tandem indicum totum opus quasi compleetur (pp. 407-410). «Opus, ut clarissimus auctor fatetur, fuit quidem longum et laboriosum quod, omni cura et diligentia hominum viribus absolutum, gratum acceptumque futurum ardenter spero: quod et legentibus certo erit.

A. MARQUÉS, C. M. F.

KLEMENS TILMANN. — *Iniciación de los niños en el arte de meditar*. Pág. 116, 17 x 11'5. Editorial Herder, Barcelona, 1961.

Constat lepidus hic libellus variis elucubrationibus, in unum redactis quae anno 1958 annisque 1949-1950 editae sunt in «Katechetische Blaetter» a Clemente Tilmann, clarissimo Religionis magistro et paedagogo. Duas in partes res tota divisa est: I. *Formatio puerorum in disciplina meditandi* (pp. 11-84). II. «*Hora Sancti Joannis*» (pp. 85-114).

Prima pars potius intellectu instituendo in meditatione destinatur. Quid sit meditatio? Quo modo puer meditatur? Meditatio spontanea et «naturalis» pueri; meditatio «naturalis» puerorum, a majoribus exulta. Meditatio in vita interiori religiosa pueri. Novae explicationes fundamentales... Totidem sunt quaestiones prima manu explicatae a bene merito auctore.

Altera vero pars pueri sensui in primis convenit: exemplo enim duce, penitus mentes adhaerere necesse est. «Hora Sancti Jean-nis». Quo modo eam obtinui? —A. Explicatio. B. Evangelii narratio. C. Pictura oculis considerata. D. Oratio lucis supplex. E. Pictura corde considerata F. Canticum jubilationis. G. Jesus et tu. Tum aliud exemplum: Resurreccio filiae Jairi. Et tertium: Jesus orat in monte... [Quaestiones de re vividae, pueris edocendis in spirituali meditandi disciplina maxime opportunae. Atque juvenibus premitit auctor librum de re propediem se dicatum. Quod felix, faustum fortunatumque sit!

ALLEVI LUIGI. — *Misterios paganos y Sacramentos cristianos.* Vol. 6, Pequeña Biblioteca Herder. Traducción por Joaquín Blázquez, Pbro. 85 págs. 11 · 18 cm. Rústica, Ptas. 25. — Sobrecubierta de Antonio Munill. Editorial Herder, Barcelona, 1961.

Collatio vel comparatio rituum sacramentalium cum mysteriis paganis oritur, altera ex parte a methodis positivis observationis que generatim usitatis in disciplinis tradendis, inde a litteris renovatis ad nosnos usque dies: id est factorum causae exquiruntur a sapientibus in factis praecedentibus, quae plus minus eis sunt analogae

Altera vero ex parte, pluribus cultoribus hujus modi cavillationis adeo fidel est in humanae rationis merito vel potestate, ut recusent hiatum ullum admittere, cum interventu divino positivo, in factorum serie sibi in historia succendentium. Qua quidem ratione commiscetur, inter studia religionis cum methodo positiva, independentia a fide in interventu divino supernaturali, quod vocant principium «rationalistarum» et «naturistarum», quo duce, «omne religiosum factum ha-

bere debet explicacionem mere historicam. Igitur explicatio rituum sacramentalium cum mysteriis paganis praecedentibus non est, nisi applicatio quedam hujus principii toto caelo absurdit.

Jam vero sedulum et profundum studium quod huic rei contulit clarissimus Dr. Aloisius Allevi lectori fidem sponderet de sollertia in re exponenda atque animo ponderanda Vere est sapiens ille dux in provincia adeo ampla, qualis historia comparata religione ejusdemque in re sacramentali applicatio-

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

Manual de Catecismo Católico. Por Franz Schreibmayr Klemens Tilman, en colaboración con Huber Fischer y Jan Wiggers. Comentario a las ilustraciones por Albert Burkart. V. Páginas 376, 22 x 14. Editorial Herder, Barcelona, 1961.

Tanquam administrulum ad Catechismum Catholicum docendum pueros «Liber manuallis Catechismi Catholicæ» a praeclarissimis magistris conscribitur. Hic est tomus quartus, quo explicantur utilia a themate 91 ad thema 113. Altera hujus voluminis suscriptione esse potest: Vita juxta Mandata Legis Divinae.

Thematum indices doctrinam prominentem reddunt: Ordo divinus creationis, Mandata Dei, Conscientia, Adoratio Dei, Adimplentio voluntatis divinae. Intentio recta, Cultus Sanctorum, Cultus erga Mariam, Reverentia nominis Dei, Reverentia erga omnia Deo dicata, Jusjurandum, Votum, Participatio cultus divini diebus dominicis et festis, Requies dominicalis, Dies et tempora sacra, Jejunitia et abstinentiae, Conversatio inter homines. Pater et mater, Fratres et familiares et amici, Honor in superiores et senes, Officia erga patres et superiores, Status et communitas populorum, Hierarchia Ecclesiastica.

Lectiones doctrinae christianaee vere dense, paedagogicae, ampliae, intellectu faciles. Propositum Catechismi Catholicæ volumine hoc prorsus attingitur: mentes enim et volun-

tates conducit ad Deum, ad Christum, ad Ecclesiam, est quiddam vividum, consonat cum juventute, est quiddam praesens hujusque aetatis. Mirificam igitur rem ducimus apud nostrates edere nobilem illum Catechismum Catholicum.

DOBBLSTEIN HERMANN. — *Psiquiatría y cura de almas.* Pág. 114. 22 x 15. Versión española por el Dr. N. Ancochea Ombravella, revisada por el Dr. I. Antich Sartol. Editorial Herder, Barcelona.

En tibi summa hujus opusculi mentis morbi et earum diagnosis atque praecox agendi ratio modo facilis exposita. Sex et sunt appositaes partitiones: I. Introductio (pp. 9-22). II. Psychoses genuinae (pp. 23-81). III. Alii morbi mentis (pp. 82-93). IV. Morbi mentis organici (pp. 94-110). V. Agendi ratio in psychosi (pp. 111-121). VI. Appendices: mentis aeger et jurisprudentia, vocabula psychiatrica, bibliographia (pp. 122-143).

Hoc autem libro non agitur, nisi de his notionibus psychiatricis, quae adhuc securae vel certae aestimantur a sapientibus. Nihilo minus, sacerdos forsitan mirabitur de magna signorum morbi copia, quae eum suo in ministerio pastorali attingunt. Atque vel in libri brevitate, ea omnia summatim exponuntur facilique stilo, quae utilia sint sacerdoti, immo et saeculari non medico —cum opus sit— quaeque eosdem quasi paratos reddant ad alia facilitus cognoscenda et adhibenda. Paucis, ministerium medici corporis cum ministerio medici animae, ratione autem christiana, hoc opusculo duce, feliciter consociatur.

UGO ENRICO PAOLI. — *Avventure e Segreti del Mondo greco e romano.* Pag. 646, 21 x 15. Felice Le Monnier, Firenze, 1960.

Duae per ampliae divisiones huic libro sunt: I. Graecorum gens et mores (pp. 3-338). II. Romanorum mores (pp. 339-630). Octo et sexaginta, eaque rite distinctae instar indicis (pp. 633-635), picturae adhibentur. Atque accuratum album septuaginta picturarum extra tetum (pp. 637-639). Index vero generalis eis quasi terminis describitur:

I. La brutta notte di Aristone, La moglie di Eufiletto, L'antro di Trofonio, Buchi nel muro, Storia di Neera, Le Antesterie, Fine di Egestrato, Cane del popolo, L'avventura ignota, Donne impiccate, Il santuario di Esculapio, Alessandro e gli uomini bestia.

II. Catone il censore, Catilina, L'avventura di Claudio, Amori nel gran mondo, I tre mariti di Sassia, Aulo Irzio, Velleio Patercolo, Il figlio del liberto, L'amico delle donne, Il poeta di Roma vivente, Lo spirito di Proteo, L'apparizione, Il maleficio entra dalla porta (pp. 041-644).

Vere libri inscriptioni tota res consonat, eleganti stilo exprompta, notis criticis inspersa, eruditione acrique ingenio clarissimi auctoris comprobata. Externa autem voluminis species maxime Editricem domum «F. Le Monnier» amplissimis honoribus decorat atque exornat.

L. C. BURNS. — *Los Niños inadaptados.* Pág. 112, 11'6 x 18'2. Editorial Herder, Barcelona.

Hujus libelli propositum est lectori paternare, qua ratione exsurget illud quod «Problema puerorum abnormium» dicunt; et modo huic rei mederi et quo tandem pacto eam praecavere possimus. Opusculi auctor, praeclarus Psychiatra in «Birmingham Child Guidance Service», lepide facilique exponit cursum incrementi in pueris; et casus, ubi certae oriri possunt difficultates, detegit. Atque celeri calamo agilique id explicat, quod adhuc factum est quodque a sapientibus intenditur in educatione infantili ad superandas has difficultates in vita puerorum in primis abnormium.

Ideo libellus hic perlegi debet ab omnibus patribus familias et magistris, immo ab his omnibus, qui in adolescentes educandos incumbunt. Libellus, novus tanquam flosculus nobilis illius «Parvae Bibliothecae Herder», exaratus est oratione brevi, nitida, facilique intellectu. Cui et commodum illud adscribendum: quod, in singulis casibus rem variis theoris explicatam, commonstrandam curet.

PHILOPONUS, C. M. F.



PALAEASTRA

adulescentium

SCHOLARES LINGUAE LATINAЕ COMMENTARII

Scripta mittantur ad Moderatorem: Conde, 2, BARBASTRO (Huesca)

Premium ad ADMINISTRATOREM: Lauria, 5, Ap. 1042 - BARCELONA - 10

Constat in Hispania et America Hispanica: 20 pesetas; in Gallia: 2'50 francie; in Italia: 300 libellis; in Germania
2 markis; in reliquis civitatibus: 0'50 dolaris.

ANN. VIII — (FASC. II) — N. 30

M. JUNIO

A. MCMLXII

CONDOR

Condor est regina avium Andes excelsas incolentium. Ipsi sunt alae nigerrimae, sub extremis subalbae. Expansisque alis, admodum tria metra longitudine complectitur. Ipse praedo volucrum est; cui accipitri retortum idemque acutum ad discerpendum corporum, quibus libenter vescitur, escam aptum rostrum est. Sine plumis caput rotundum habet quod crista coronatur violacei coloris quodque ceteris membris longo, rubro, rugisque orato collo unitur atque albis plumis, vice collaris, circumdato. Ardentes praeterea habet oculos quibus praedam ab alto conspicetur vestigataque uncis arripiat.

Igitur, summo mane, natu minimus condor, cui nomen Cisco, alas corpore suborientes extendens agitansque: «fame — gricitat — pereo, pater mi!»

Cascus, rex condorum, natum parvum tacitis oculis intuetur. Fili mi, condoris est omnia patienter ferre et inopiam forti animo sustinere.

— Sed mihi venter iratus latrat ac fame fere pereo, genitor.

— Sustine atque abstine! Brevi famem omnem absumptum iri existimes oportet.

Alis parendum donec solis aestus remissi et cursus lenes sint aëris...

Ast ego..., iterum exorsus Cisco, sed nutu patris verba ore ejus compressa sunt...

In altissimo Andium culmine uterque habitat, quos sol exoriens lumine illustrat; a longe, matutinā opertus brumā patescit campus. Suum interea sol cursum complet, qua hora quicquam perficiendi Casco tempus admonet. Inde, spansis alis, sensim sine sensu, caeli summīatem tangit ex qua sublime tranans, magnis vorticibus quantum patet aspicit metiturque aequor. Pullus non aequo volatu patrem pone sequitur.

Extemplo, media in rupe, demortui vituli corpus conspicit ac facto descensu, alarum remigio, petit locum via recta. Pullus omnia quae condor dignoscere fas est discit a patre, regium volatum, praedae inventionem, periculi sollertia.

Praeda prospecta paulatim fit mora praecipitesque cadunt super eam. Convivium instauratur... singulari utriusque volucris, quo superabundant gestiunctae, lautitiae gaudio.

Bonis Auris.

R. SARMIENTO

FIDES AMICITIA SERVATA

Cohors Dalmata, facium flammis etiam tunc crepitantibus, in Urbem redibat. Juxta viam Imperialem decem christianorum corpora ad palos adligata ardebant. Quorum delictum christianos esse.

Deum simulacra flamas e Capitolio prospiciunt trepidantes, dum nox penas ad Urbem atra tendit. Interdum damnati ad caelum gemitus attollunt.

M. — Salve, Juli.

J. — Salve et tu Marce.

M. — Laurentius Diaconus te jubet arcessi.

J. — Damnationis sententia nota est ei?

M. — Accedas, rogavit. Expectat te Ecclesia.

J. — Ubi congregata?

M. — Ad Papae Callixti catacumbas.

Julius ore pallescit:

J. — Facti me paenitet.

M. — Juli..., Ecclesia te arcessi jubet. Accedas, queso.

J. — Certiores fac eos de mea paenitentia. Adesse tamen nequeo.

Ecclesia ad catacumbas erat congregata. Symbola, facium splendore, videres ibi e parietibus sacra pendere.

«Si quis dicit se Deum diligere et odit fratrem suum...».

Lector vocem tenuit. Fractio Panis incopta erat.

Murmur per Ecclesiam serpit cum Julius ad sacrum locum pervenit. Pontifex ad eum accedit.

P. — Juli, fili, ubi frater tuus?

Julius autem lugebat:

J. — Peccavi..., Pater Sancte, peccavi.

P. — Ubi frater Paulus?

Julius peccatum plane confessus est. Paulum oderat, atque eum, quod christianus esset, ad Imperatorem accusaverat. Mille denariorum praemium perceperat quos in Tiberim, cum a servo Pauli interitus nuntium accepisset, jecerat. Nomen ejus ad Ecclesiam delatum est et Pontifex ab eo rei rationem petiit.

P. — Nomine Jesu Christi ab Ecclesia excommunicaris, Juli. Inter Sanctos numeraberis si, ante Imperatorem de nomine christiano accusatus, capit is damnatus eris.

Militum galeae sole coruscabant dum in foro tubicines Imperatoris adventum canebant, qui incepsum facturus erat judicii:

Orator brachia jactat. Imperator, sententiam dicturus, e sede se erigit:

—Ex Imperii lege, in Galliam relegaris.

Rei ad Imperatorem accedunt: alii damnantur, alii solvuntur.

Tandem praetor urbanus:



—Quis christianos accusat?
Crescente murmure urbana plebs
strepit:
—Juli, Juli..., hic christianus!

Multitudo Circi caveas occupat.
Ferae hinc alio currunt ore humana
carne repleto.

—Somnium terribile Julium agita
in lectulo: Christum prodiderat et
conscientiae vocem audiebat:

—Quid fecisti?

J. — Nihil feci.

—Juli, ignavus fuisti et Christum
prodidisti.

J. — Ja, ja, ja, Christe. Descende
de cruce.

Insequenti die, Laurentius ad Julium
venit.

J. — Fuisti in foro, Laurenti?

L. — Ita sane.

J. — Ut quid autem me visum venis?

L. — Fabellam tibi narrare volo:
«Rex fuit quidam...».

(Juxta peristyli columnam consede-
runt. Laurentius et Julius domi soli mo-
nebant, nam servi, pensum facturi, foras
exierant).

L. — «... et Rex hostibus bellum in-
dixit. Exercitum paravit, cui XII duces
erant. E quibus duos elegit ut eum
comitarentur. Accidit ut Rex ille in pro-
lio vinceretur, ejusque imperia vastaren-
tur, et postea Rex ipse morte multaretur.

Paucis post annis unus e XII ducibus
Regis consilia ab amico hostibus tradito
rettulit».

J. — Judal Desine plura, Laurenti.

L. — Fabella nondum finit. Valuit
enim Filius Regis qui exercitum refecit,
et, victoriis quamplurimis adeptis, gloria
politus est pristina.

«Gentes omnes sub signis ejus coge-
bantur. Filium traditi Regis omnes, uno
excepto, victorem salutabant».



«Rex Magnus arcane lacui olim
obequitabat, cum equus pectus manus-
que subito arrexit et equitem in lacum
dejecit. Ei auxilio servus occurrit, et cum
in lacum se conjicere voluisse, territus
aquam vidi in ignem mutari. Et, dum
Rex, flammis involutus, acriter quereba-
tur, servus timidus fugiebat.

«Vir denique quidam, more agricola-
rum indutus, in ignem se projectit et,
postquam flamas tranare contenderat,
ad Regem pervenit eumque in litus ad-
vexit. Hic erat qui Regem Patrem tradu-
xerat et, ut Filium salvaret, ad pedes
ejus periit, lassitudine ignisque vulneri-
bus confectus».

Cum Laurentius narrationem finiit,
Julius flebat.

Hodie ad Circum non feras, sed
Christianorum duo corpora ad palos
ardentia videbis.

L. — Juli, Juli... frater.

J. — Laurentil Tandem et fidem et
Christum et misericordiam inveni. Ad
aeterna tuis precibus me transferas ta-
bernacula.

*Narrationem scriptit: C. LATÓRRE, C. M. F.
In latinam linguam convertit: R. VERA, C. M. F.*

T. MANLIUS CONSUL



In bello adversus Latinos edixerant consules ne quis extra ordinem in hostem pugnaret. Forte T. Manlius, consulis filius, super castra hostium cum suis turmalibus evaseral, ita ut vix teli jactu ab statione proxima abasset. Ibi Tusculani erant equites; praeerat Geminus Mecius, vir cum genere inter suos, tum factis clarus.

Is ubi romanos equites insignemque inter eos praecedentem consulis filium cognovit: «Unane, inquit, turma Romani cum Latinis sociisque bellum gesturi estis? Visne, igitur, interea tu ipse congregdi tecum, ut nostro duorum jam hinc eventu certatur quantum eques latinus romano praestet?

Movet ferocem animum juvenis seu ira seu detrectandi certaminis pudor seu insuperabilis vis fati. Oblitusque itaque imperii patris consulumque edicti, praeceps ad id certamen agitur, quo vinceret aut vinceretur haud multum interesset. Equites ceteri velut ad spectaculum circumsteterunt.

Circumactis deinde equis, cum prior ad iterandum ictum Manlius consurrexisset, spiculum inter aures equi fixit. Equus cum, prioribus pedibus erectis, magna vi caput quateret, excussit equitem; quem, cuspide parmaque innixum attollentem se a gravi casu Manlius a jugulo ita ut per costas ferrum emineret, terrae affixit,


FILIUM CAPITIS DAMNAT

Spoliisque lectis ad suos revectorum, in castra atque inde ad praetorium ad patrem tendit, ignarus facti futurique laus an poena merita esset: «Ut omnes, inquit, pater, tuo sanguine ortum vere ferrent, provocatus equestria haec spolia capta ex hoste caeso porto».

Quod ubi audivit consul, exemplo filium aversatus contionem classicō advocari jussit. Quae ut frequens convenit: «Quandoque, igitur, tu, T. Manli, neque imperium consolare neque majestatem patriam veritus, adversus edictum nostrum extra ordinem in hostem pugnasti et disciplinam militarem, qua stetit ad hanc diem romana res, solvisti, nos potius nostro delicto flectemur quam res publica tanto suo damno peccata nostra luat.

Triste exemplum, sed in posterum salubre juventuti erimus. Me quidem cum ingenita caritas liberorum, tum specimen istud virtutis in te movet; sed cum tua morte sancienda sint consulū imperia, ne te quidem, si quid in te nostri sanguinis est, recusare censem quin disciplinam militarem, culpa tua prolapsam, poena restituas. I, lictor, adliga ad palum!».


Exanimati omnes tam atroci imperio, nec aliter quam in se quisque destrictam cernentes securem, metu magis quam modestia quieverunt: Spoliisque contextum juvenis corpus, quantum militaribus studiis funus ullum celebrari poterat, structo extra vallum rogo, crematum est. Fecit tamen atrocitas poenae oboedientiorem duci militem omniq[ue] Romano-rum exercitui ea severitas profuit.



GABRIEL EUCHARISTIAE SERAPHIM

Ut lampas volitantes papiliones ad se allicit, ita animam christianam perfectionis attingendae cupidam Sanctissimum Amoris Sacramentum ad se attrahit.

Itaque Gabriel a Virgine Perdolente maximum in cotidiano labore sanctitatem appetens ac Christi amore flagrans, ut Eucharistiae custos



et Seraphim efficeretur omni opere annis est.

Panem Angelorum summa pietate frequenter accipiebat et totum diem mente in Christum fixa sumebat. Quid enim aliud ejus vita nisi perpetuum perfectumque holocaustum, tanquam Sacratissima Immolationis Hostia, quam mane sumpserat semper fuisse videtur?

Quotiescumque ei Divini Captivi visendi opportunitas aderat, ad Tabernaculum genua flectabat intentisque oculis ejus deauratam portam intuens, libentissime eodem loco perseverabat.

Sub quavis specie in familiari sermone aliqua de Eucharistia proferebat: optabat enim Gabriel ut quod sibi, sodalibus etiam oblectamento esset.

Itaque tota sua aetate Eucharistiae Seraphim semper fuit; posthac autem se Angelorum numero ad Trinitatem in aeternum laudandam sociavit.

JOANNES VALLE

Vi cursus alumnus C. P.

Zufariae (Zuera) in Caesaraugusta Provincia

Damon et Pythias

Dionysius, Syracusae tyrannus, Damonem, injuste apud illum accusatum, capit is damnavit. Damon vero ab eo petivit ut sibi vale parentibus dicendi gratiam donaret. Dionysius petenti annuit, sed prae-dem poposcit.

Pythias ergo, Damonis intimus, libentissime se vadet praebuit. Revertendi autem hora statuta jam jam instante nec tamen Damone redeunte, Pythiae necesse fuit pro amico mori. Jamque carnifex secundum extulerat, cum ecce Damon ad mortem subeundam paratus adstat. Videre tunc licuit quanta animi affectione quantisque lacrimis fidi amici arctissime amplexi et in osculo fixi diu permanerint.

Tunc Dionysius, tali ac tanto amoris fideique exemplo commotus, non solum Damonem vita donavit, verum etiam ut se in amicitiam tertium reciperent ab eisdem postulavit.

Samis.

JOSEPHUS CARRERA
e IV latinitatis anno

AD SALTUM EQUI

NUM		IM	VI	FU	MIT
A	QUE	LI	COM	UT	LES
CU	QUAM	DE	BEL	TEN	GA
DI	MUR	RI	EST		
PE		MI			DUM

MISCENTES UTILE DULCI

Cum Pyrrhus minis Spartam urgeret, Duciidas respondit: «Si deus es non timemus, nam nullum tibi malum inferimus; sed si homo, minor es neque melior nobis»

J. M. MARTINEZ

Alexander cum exercitu Corinthum, ubi foederatorum praefecturam obtinuerat, profectus est. Quem omnes honoraverunt, cynicus autem Diogenes praesentiam ejus ignorare simulavit. Alexander eum audivit atque an aliquid desideraret interrogavit. Diogenes respondit: «Ita est, ut a me parum discedas, nam solem operis». Alexander dixit: «Nisi Alexander essem, Diogenes vellem».

A. PORTILLO

Dionysius Syracusanorum tyranus se optime carmino componere credebat.

Quodam die cormen ejus Philoxenus poëta legit, quod sibi pessimum videri aperte confessus est.

Iratus Dionysius, Philoxenum in carcere mitti jussit.

Postridie Philoxenum ad se adduci iussit, ut de altero carmine judicium ferret. Quod cum Philoxenus audisset optimum esse affirmavit. Postea militibus: «In carcere, inquit, me reducite».

J. BONMATI



Nunc quoque molestiam experiris!

SOLUTIONES

Cfr. PALAESTRA LATINA

Pecten (p. 305):	1	2	3	4
	C	A	L	E
	E	N	T	U
	T	E	G	M
	O	O	O	O

Aenigma Ovidianum (p. 308):

(I) sacra, (II) stupor, (III) lima, (IV) semen, (V) cadit, (VI) neget, (VII) omina, (VIII) minora, (IX) lasso, (X) ratem, (XI) serva, (XII) sospes.

Ad saltum equi (p. 308):

Est in conspectu Tenedos, notissima fama Insula, dives opum, Priami dum regna maneabant;

Nunc tantum sinus, et statio male fida carinis (*Vergilius*).


1	2	3	4	5	6	7	8
AU	DI	VI	DE	TA	CE	SI	VIS
9	10	11	12	13	14		
VI	-VE	-RE	IN	PA	CE		

Triangulus magicus (p. 311):

SICILIA	1
IBERIS	2
CERIS	3
IRIS	4
LIS	5
IS	6
A	7

TRIANGULUS MAGICUS

1 2 3 4 5 6



- 1 Orator romanus
- 2 Inferre pedem
- 3 Incolae

- 4 Domini
 - 5 Fortuna
 - 6 Vocalis
- P. CODINA

SOL ECCE MONTIBUS

(Cantilena popularis Superioris Subaudiae)

M. D. 'HAENE, musicie concinavit

M. MOLINA, latine aptavit

Vocibus aequalibus: barytonam unam vocem reliquae voces comitantur.

Vocibus mixtis: vox acutissima, media, barytona, lma.

Sol ecce mon- ti - bus exs-tinguitur re-lit-tis noctis que te-no- brae val-

(ore clauso) U - - - -

(ore clauso) U - - - -

lis incumbunt ar- - vis Mon- ti -co-las mon- ti -colae dulci-sionam in

Mon- tico-las dulcisisonam

Monti-colas dulci-sionam

pratis um-bra tectis canti-lenam con-ci-nunt qua laeta fiunt pec-tora Tra la

(ore cl.) U - - - -

(ore cl.) - - - -

lalalalala lala la la la la la la laire Tra la la la la

la la la la la la la la la la la la la la la la la la la la

lala la lalala la la la la la la la la laire la la la la la!

FACETE DICTA

— Mihi dixisti maculas in manteli factas esse, quas si cito mantele sub placidam noctis auram locassem, deletum iri.

— Et deletae sunt maculae, nonne?

— Non tantum maculae sed etiam mantele.

B. M. FORCANO

- Metum capis?
- Quid sit hoc nescio.
- Neque te procellae terrent?
- Minime. Quondam ad pedes meos fulmen cecidit, illud cepi et volumen tabaceum (cigarrum) accendi...

J. ANT. M. GÓMEZ

BIBLIOGRAPHIA

DOBBELSTEIN HERTMANN. — *Psiquitría y cura de almas.* Pág. 144, 22 x 15. Versión española por el Dr. N. Ancheta Ombravella, revisada por el Dr. I. Antich Sariol. Editorial Herder, Barcelona.

En tibi summa hujus opusculi: mentis morbi et eorum diagnosis atque praecox agendi ratio modo facili exposita. Sex ei sunt appositaes partitiones: I. Introductio (pp. 9-22). II. Psychoses genuinae (pp. 23-81). III. Alii morbi mentis (pp. 82-93). IV. Morbi mentis organici (pp. 94-110). V. Agendi ratio in psychosi (pp. 111-121) VI. Appendices: mentis aeger et jurisprudentia, vocabula psychiatrica, bibliographia (pp. 122-143).

Hoc autem libro non agitur, nisi de iis notionibus psychiatricis, quae adhuc securae vel certae aestimantur a sapientibus. Nihilo minus, sacerdos forsitan mirabitur de magna signorum morbi copia, quae eum suo in ministerio pastorali attingunt. Atque, vel in libri brevitate, ea omnia summatim exponuntur facilique stilo, quae utilia sint sacerdoti, immo et saeculari non medico, —cum opus sit—, quaeque eosdem quasi paratos reddant, ad alia facilius cognoscenda et adhibenda. Paucis, ministerium medici corporis cum ministerio medici animae, ratione autem christiana, hoc opusculo duce, feliciter consociatur.

TRAINA ALFONSO. — *Comoedia, Antologia della Palliata.* Pag. 172, 25 x 17. CEDAM. - Casa Editrice Dott. Antonio Milani Padova.

Palliata est comoedia latina, graeci vero argumenti, ita nuncupata a «pallio»: veste graeca qua personae in eadem utebantur agenda (Graecas fabulas ab habitu palliatas Varro ait nominari DIOM. I 489 K). Haec vero antologia, a

clarissimo Professore A. Traina in vulgus edita, utilissima iis usu erit qui de pristina lingua et poësi latina notitiam nitidam et amplam callere cupiunt.

Illis remotissimis temporibus latina lingua quasi in incunabulis vagiebat; ex quo et scriptores et eorum lucubrationes litterariae nobis multo minus intellectu faciles. Quibus tamen nulla deest aut sollertia aut jucunditas. Haec anthologia vel florilegium PALLIATAE quasi florida prata latinitatis ostendit.

Frequentes notulae, indices locorum, siglorum, rerum commodiorem librum reddit. In appendice (pp. 149-159) Elogia et Tabulae triumphales erudite explicantur Scriptores latini, quorum scripta ab auctore anthologiae excutiuntur: Livius Andronicus, Cn. Naevius, T. Maccius Plautus, Q. Ennius, Caecilius Statius, P. Terentius, Afer, Minores et Anonymi, Turpilius. In primis commendanda Palliatae introductio (pp. 7-18), quam quasi syntheticum prospectum seu panorama diceret. De re bibliographica fusius ibidem agitur.

A. MARQUÉS, C. M. F.

ZAMORA VICENTE ALONSO. — *Dialectología Española.* Pag. 394, 20'5 x 14'5. Biblioteca Románica Hispánica. Editorial Gredos, Madrid.

Amplissimus et peropportunus apud nostrates est labor illius nobilis, quae inscribitur, «Biblioteca Románica Hispánica», cui praeest clarissimus Professor Damasus Alonso. Tractatus et Monographiae, Commentationes et Prolusiones, Manuales libri, Dictionaria, Anthologia Hispanica: en tibi quasi metae ejus modi scientiae provinciae.

Etenim inter libros Manuales hic «Dialectología Española», a sapiente reique magistro A. Z. Vicente elaboratus. Haec tanquam generalis operis synopsis: Mozárabe (pp. 13-46), Aspiración (pp. 47-63),

Yeísmo (pp. 64-70), *Leonés* (pp. 71-159), *Aragonés* (pp. 160-226), *Andaluz* (pp. 227-264), *Hablas de tránsito* (pp. 265-278), *Judeoespañol* (pp. 279-305), *Español de América* (pp. 306-361), *Guía Bibliográfica* (pp. 361-388).

Plus viginti chartis geographicis varia variarum loquularum extensio ante oculos lectoris commode obicitur. Id autem clarissimi auctoris propositum: tanquam ducem cultori Dialectologiae Hispanicae se praebere. Et magno profecto studio solertiaque magna propositum superatum voluit.

Quod ei quidem, in agnoscenda facti gloria, plaudendum est. Non enim solam Problematicam, quod dicunt, nostrarum dialectorum historica ratione expromit, sed eidem quasi thesaurum diversarum theoriarum adhuc philologorum explicandum innexit.

TEOCRIT. — *Idyllis*, I. Text revisat i traducció de Josep Alsina, Professor a la Universitat de Barcelona. Fundació Bernat Metge. Barcelona, 1961.

Centesimum quadragesimum primum volumen Collectionis Catalaunicae Clasicorum graecorum et latinorum. Textum novissime recensuit, eumque in catalaunicam linguam convertit clarus vir Josephus Alsina, in Universitate Barcinonensi Professor. Opus autem comprobavit Professor Joannes Petit.

Hinc dilucida introductio (pp. 7-72), inde Theocriti Idylliorum textus, cum versione atque apparatu critico (pp. 73-158). Fussius eruditeque in introductione de aetate hellenistica, de Theocriti vita, de opere Theocriti, de ejusdem arte, de lingua, de textu, de bibliographia. In critico constitudo apparatu, potiores ad nostros dies editiones Theocriti curae sunt auctori, ut

exaratae ab Ahrens, Wilamowitz, Le-grand, Edmons, Gallavotti, Gow.

In Idylliis ordinandis, ut plurimum, Stephani viam consequitur clarus hellenicae linguae Barcinonensis Professor. Eae vero Idylliorum inscriptiones: I. *Tirsis o la cançó*. II. *Les fetilleres*. III. *Serenata*. IV. *Els pastors*. V. *Fent camí*. VI. *Els cantaires bucòlics*. VII. *Les talssies*. Unicuique introductio praeeit de historia, de technica arte, de studio quasi synthetico. Juvantes enimvero librum hunc legent bonarum artium cultores, quibus et nobilis «Fundació Bernat Metge» usque cordi est atque erit.

QUINTILIA. — *Institució Oratòria*, I, (Llibre I). Text revisat i traducció de Josep M. Casas i Homs. Fundació Bernat Metge, Escriptors Llatins, Barcelona, 1961.

Praecipua in introductione attinguntur de vita et operibus M. Fabii Quintiliani (pp. 7-61). Non nulla enim de patria Quintiliani, a clarissimo auctore explicantur; Quintilianum ut magistrum et causidicum laudat; ejusdem opera recenset; de Institutione Oratoria disserit, cuius quidem propositum contextumque fusius exprimit; aliqua de formatione oratoris profert; tum de primo libro, de Quintiliano cursu saeculorum. de manu scriptis et praecipuis editionibus agitur.

Sequitur textus cum apparatu critico et catalaunica translatione (pp. 65-168 bis). Notulae ad calcem et frequentes et selectae. Interpretatio nitida lectuque jucunda. Totum librum comprobavit eximus Professor Michaël Dolç. Versio catalaunica quam maxime textui a clarissimo Prof. F. H. Colson edito accommodatur.

A. MARQUÉS, C. M. F.

PALAESTRAE LATINAЕ socii rogantur omnes Commentariorum pretium — quod in operculis aperte constat — ad ADMINISTRATOREM, «Palaestra Latina, Lauria, 5 - Barcelona - 10» mittere velint proprio signato nomine.

Premium ad MODERATOREM ne mittatis oportet, ad rectam rerum gestionem. — Estque vobis gratia.